



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**


Liber CLI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)



# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER CLI.



SED, VAC. postea PAULUS IV. PAPA.  
CAROLUS V. OCCIDENTIS  
IMPERATOR.

§. I.

*Cardinales Conclave ingressi pro electione novi Pontificis.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

*Pallav. hist.*  
*Conc. Trid.*  
*l. 13. c. 11. n. 8.*  
*Ciacon. vit.*  
*Pont. t. 3.*  
*p. 809.*  
*Spond. hoc*  
*ann. u. 8.*  
*Rayn. u. 21.*

**J**ustis pro Marcello II. Pontifice de more celebratis Cardinales tum Romæ agentes die decima quarta Maji sacris Comitibus initium dederunt, iique erant numero quadraginta quatuor, atque inter illos numerabatur quoque Farnesius Cardinalis, qui a Marcelli II. electione absens, nunc literas a Gallicæ factionis Cardinalibus ad Henricum II. Franciæ Regem datas secum deferebat; hi enim Reginaldum Polum in summum Pontificem eligi peroptabant, nec minus ipsa etiam Maria Angliæ Regina nil ardentius in votis habebat, quocirca hac de re ad Gardinerum, Arundellium Comitem, & Pagetum, qui tum Caleti

Caleti morabantur, literas dabat, pe-  
tens, ut hi Hispaniam inter, & Fran-  
ciam pacem conciliarent: Pariter eos-  
dem rogabat, ut Cardinalem Lotharin-  
gium, Connestabilem, ceterosque Gal-  
liæ Regis Oratores sibi devincire, eo-  
que inducere studerent, ut Regem suum  
Polo propitium redderent, eoquod hic  
præ ceteris ad occupandam Sedem A-  
postolicam magis idoneus videretur.  
His quoque subjunxit Regina, quod i-  
psamet suas preces pro Polo Cardinale  
interponeret, ita tamen, ut hic hac de  
re ne obscuram quidem haberet no-  
titiam. Attamen priusquam Regina  
hasce literas exarrasset, jamjam in con-  
clavi de futuro Pontifice erat conclu-  
sum.

§. II.

*Ferrariensis Cardinalis rursus a qui-  
busdam in Papam expetitus.*

Nihilominus ad Franciæ Regis pre-  
ces Polus in sacris hisce Purpura-  
torum comitiis proponebatur: verum  
in hoc quoque conclavi æque, ac priori  
eadem fervebant suffragantium moli-  
mina, in hoc tamen notabatur discrimen,  
quod antea Cæsarei Gallorum  
artes eluserint, cum tunc Virum ipsis  
quoque omnino acceptum proposuerint,  
in præsentibus econtra comitiis Galli

*Pallav. l. 13.  
c. II. n. 8.*

Sæcul. XVI. ad evertenda Cæsareorum, qui electionis fortem suo arbitrio relictam credebant, consilia nunc pari artificio(\*) usi Cardinalem nominabant, a quo Cæsaris fautores plurimum erant alieni, cujus quoque electionem ad Pontificatum nonnisi ægerrime tulissent. Præterea Alexander Farnesius Cardinalem Polum proponebat, nonnisi eum gravi ceterorum Cardinalium indignatione, præcipue vero Bellai natione Galli, qui potius in Ferrariensem Cardinalem suffragia conspirare voluit; quapropter nil intentatum, inausumque relinquebat, ut electio usque ad ceterorum Cardinalium Gallorum adventum differretur, eo consilio, ut suam factionem saltem numero firmaret. Verum tali consilio Farnesius, qui Polo favebat, sese opposuit, huic innixus rationi, quod Italum tam potentis Fami-

---

(\*) An hoc æquale artificio appellari valeat, prudentis Lectoris judicio relinquimus, id tamen certum est, quod ad electionis unitatem magis conferat artificio Cæsareorum, qui Virum proponebant etiam Gallis acceptum, econtra suapte natura Gallorum artes facile schisma concitare potuissent, cum Cardinalem Cæsareis exosum Petri Cathedræ intrudere gestirent. Nempe adeo inconsiderate Continuator non nunquam pro suo arbitrio quædam recen-

set,

Familiæ Principem, qualis erat Ferrarientis, ad D. Petri Cathedram evehere haud expediret: quapropter Galliarum Regi exposuit, haud sperandum, quod Ferrariensis Cardinalis eligeretur, cum potius prævideri posset, quod sacrum Collegium in tres alios Cardinales sit propensurum, ac horum quidem primus esset Polus omni meritorum genere clarissimus, ac certe a Gallis minime repudiandus: alter vero Caraffa, qui unice ob decrepitam ætatem aliis Pontificatus spem facere posset, de cetero autem Apostolicæ Sedi parum idoneus existeret, eoquod plurimos sibi sanguine junctos, qui omnes Cæsari potissimum sunt subjecti, numeraret. Tertius denique erat Moronus, cui tamen Carolus V. Cæsar minime propensus esset. (\*)

## §. III.

set, ut, dum alienæ famæ invidiam creare molitur, propriæ suæ præjudicet..

(\*) Ex incuriæ vitio hæc de Morono Continuator descripsit ex Pallavicino, qui tamen loco cit. oppositum asserit his verbis: *Tertio loco Moronum nominabat, cui tamen objectabatur animus Cæsari prorsus addictus.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

§. III.

Excluso Polo Cardinalis Puteus ejus  
loco propositus.

Pallav. n. 8.  
& 9.

Vix Farnesius hosce tres Cardinales proposuerat, cum illico Polus excluderetur, quæsito obtentu, quod in Anglia agens absque gravissimo incommodo Romam vocari haud posset, aliunde vero timendum foret, ne Philippus Cæsaris Filius, cui hoc regnum pareret, Anglici Principis electionem minus gratam haberet: cum autem Cardinalis Sanctæ Floræ, qui Cæsareorum caput erat, Polum a Pontificatu exclusum cerneret, Jacobum Puteum patria Niciensem, ac Barensem Episcopum proponere constituit, eo quod Cæsari acceptus, necnon a Gallis plurimi habitus esset, & licet Gallorum partibus sese valde propensum palam haud ostenderet, vir tamen esset eruditionis laude commendandus, ac per plusquam quindæcim annos Rotæ Romanæ Auditorem, necnon utriusque, ut vocant, *Signaturæ* Præfectum, ac Sacræ Inquisitionis Præfidem egisset, atque aliunde ætate maturus, moribusque integerrimus generis sui obscuritatem virtutum splendore abunde compensaret; quapropter Cardinalis S. Floræ tanti meriti Virum eligi curabat, atque Farnesio ad suas partes

tes pertracto rem ferme confectam cen-  
 sebat, cum ecce! improvidus Cornei  
 Cardinalis fervor totum evertit confi-  
 lium; hic enim Julii III. Nepos, cum  
 hujus electionem immodico ardore ur-  
 geret, potius eundem a supremi Ponti-  
 ficatus spe arcebat: quocirca unaomnes  
 in Carassiam Sacri Collegii Decanum sua  
 suffragia conferre statuebant, eoquod hic  
 esset Cæsaris subditus, tam Gallis gratus,  
 quam Puteus eisdem suspectus; quam-  
 vis minime dubium videretur, quod Ca-  
 rassæ parum propensus Cæsar foret, qui  
 a possessione Archiepiscopatus Neapoli-  
 tani diutius illum prohibuerat, donec  
 tandem hic ea in re Julio sese subjecisset;  
 cum eo tempore hic Pontifex de Carolo  
 plurimum esset meritis.

## §. IV.

*De Carassa eligendo actum.*

Postquam Farnesius Carassiam propo-  
 fuerat, se tamen nulla ratione hu-  
 mana ad id moveri declaraverat, potis-  
 sima Cardinalium pars ejus sententiæ  
 accesserat, ut Putei electio præpedire-  
 tur. Itaque unaomnes Carassiam a-  
 deunt, eumque e cubili suo educentes  
 ad Sacellum comitantur, ubi tamen nul-  
 lo tum ex Cæsareis præsentente sese in Pa-  
 pam esse electum persuaderi haud pote-  
 rat. Attamen ipsemet Deus, cum hujus

Viri

Sæc. XVI.  
A.C. 1555.

**Sæcul. XVI.** Viri electionem etiam contra hominum  
A. C. 1555. eidem obstrepentium voluntatem perfici  
 vellet, plures, variosque, quibus ejusdem  
 nominatio promovebatur, oriri fecit eventus,  
 quorum primus erat, quod ad Sacellum iturus,  
 cum Carpiensis, & S. Jacobi Cardinalium cubi-  
 cula pertransire cogeretur, atque hi Caraffam  
 comitantium strepitu excitati ad atrium  
 egrederentur, ibique opportuna eis oblata  
 fuisset occasio sese vindicandi de iis, qui  
 ipsis insciis Puteum Cardinalem ad Pontifi-  
 catum evehere moliebantur, eapropter a Gal-  
 lis, qui Caraffam conducebant, ac sequeban-  
 tur, nimia facilitate decepti credebant illis  
 dicentibus, quod apud Cæsarem, qui suis fau-  
 toribus Caraffam excludi præceperat, suam  
 interponerent excusationem, exposituri,  
 quod Viro ipsis speciali amicitia conjuncto,  
 ac per plures annos unacum ipsis Inquisi-  
 toris munere fungenti sua suffragia denegare  
 haud potuerint. Alter autem fortunæ casus  
 erat, quod plures Cardinales, atque inter  
 eos Panormitanus, Nobili, Auria, aliique sub-  
 orto strepitu e suis cubiculis egressi Gallos  
 usque ad Sacellum secuti fuerint, ac Caraffæ  
 adhæserint. Tertio etiam accidit, quod  
 Otho Truchsessius Cardinalis Augustanus  
 inter Cæsareos summæ existimationis

nis Præsul mane sacrorum rituum Magistro significaverit, Puteum eo die Pontificem abs dubio renuntiatum iri, postea vero cum rescivisset de Caraffæ electione agi, attonito similis exclamarit: *Quid agit Theatinus ille ambitiosus Episcopus?* Ast Otto ad vesperam animi sententiam mutabat, necnon altera die expiatis per homologesin noxis suis, ac summo mane peracta re divina per eundem rituum Magistrum Caraffæ significari faciebat, se illi certo suffragaturum.

## §. V.

*Farnesius Cardinalis plures Purpuratos sibi concilians.*

Cum Cardinalis Moronus duo Inquisitionis capita Carpium, ac Cardinalem S. Jacobi in Sacello cerneret, illos eo duntaxat ex fine convenisse suspicabatur, ut ipsum a Papatu excluderent, quapropter & ipse illis, qui Caraffæ addicti erant, sese adjunxit, ut hoc obsequendi studio illos sibi devinciret, ac Farnesio sibi in paucis caro obsequium præstaret. Itaque hæc digressio eundem in hoc conclavi operabatur effectum, quem in prioribus comitiis Cardinales S. Angeli, & S. Floræ excogitabant; quippe exinde unio, quæ inter Cardinales Puteum eligi cupientes vige-  
gebat,

Sæc. XVI.  
A.C. 1554.

**Sæc. XVI.** **A.C. 1555.** gebat, dissolvebatur, moxque Galli ex  
 suis duos, vel tres ablegabant, ut sese  
 unirent illis, qui ab eorum sententia,  
 priusquam electio fuisset peracta, se nun-  
 quam discessuros spondebant: eos au-  
 tem, qui hujus congressus rationem ne-  
 scientes ad Sacellum venerant, nullo  
 negotio Farnesius ad suas pertrahebat  
 partes: cum igitur ad exequenda eo-  
 rum consilia sufficiens suffragiorum nu-  
 merus concurreret, Farnesius Sacelli  
 fores occludi iussit, ac præsentibus, ut  
 Carassam nominaturos se pollicerentur,  
 admonuit. Interim Carassa omnium,  
 quæ in conclavi gerebantur, ignarus, pa-  
 rumque de fautorum suorum successu  
 sollicitus, totum se Farnesii dexteritati  
 commisit, nec in hoc inconsulto egit,  
 eo quod hic Cardinalis Carassæ nomina-  
 tionem maximo studio urgeret, & ad-  
 stipulante etiam Morono tantum suffra-  
 gantium numerum sibi conciliaret, ut ad  
 certam Carassæ electionem non nisi tria  
 deessent suffragia: unde avidis animis  
 hujus rei exitus expectabatur.

Vespere facta, Gallisque adhuc in  
 Sacello congregatis Cæsarei in Consi-  
 storii aula immoti perseverabant, quam-  
 vis utriusque factionis antesignani ul-  
 tro, citroque suos ablegarent, qui pro  
 illo, quem quisque eligi optaverat, suf-  
 fragia colligerent; Galli tamen, licet sa-  
 tis

ex  
sele  
tia,  
un-  
au-  
ne-  
illo  
bat  
eo-  
nu-  
elli  
ut  
tur,  
um,  
pa-  
flu  
rati  
git,  
a-  
ad-  
ra-  
ad  
ria  
nis  
in  
si-  
n-  
ul-  
ro  
af-  
a-  
tis

tis amplum pro arbitrio suo Papam eligendi spatium habuissent, immoti Carassæ adhærebant: cum autem Ferrariensis Cardinalis hujus electioni minime faveret, opportune per Cardinalem Ursinum Cæsareos admonebat, ut in sua sententia constanter persisterent, atque Carassæ electionem abs dubio everfuri essent. Verum ipsemet Ferrariensis datam fidem primus fefellit, ac paulo post consilium mutavit, eoquod ei significatum fuisset, quod Carassa factionis sibi oppositæ molimina jam comperta haberet, imo etiam non sine indignatione de illis questus esset. Itaque Farnesius, quoniam Virum, cujus nominationem ipse procuraverat, reipsa in Papam eligi sibi honori ducetet, sua illi suffragia promittentium numerum conferebat, eaque ad electionem sufficere intelligebat, dummodo nullus promissi fidem violaret, quod tamen haud timendum videbatur. Præterea etiam Carpiensis ad suas partes pertrahebat Bellajum Portuensem Episcopum, qui in Carassa magnam sibi spem repositam censebat, cum a Paulo III. creatus neoelectum Pontificem gratum pro hoc obsequio animum ipsi exhibiturum sperabat, eo potissimum nomine, quod Carassam multis amicitiae favoribus eo tempore cumulasset, quo omnes ex illius familia

Prin-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

Sæc. XVI. Principes a Julio III. fuerant vexati.  
A.C. 1555. Hac ergo spe animatus Cardinalis Bel-  
 lajus Caraffæ electionem ardenti studio  
 promovere satagebat.

§ VI.

*Cæsarei Caraffæ electioni incassum  
 oblutantes.*

Ceterum Cardinales Cæsari addicti  
 nullum ex suis numerabant, qui con-  
 stanter in concepta sententia perstitisset;  
 comperta enim hac rerum vicissitudine  
 adeo turbati hærebant, ut iidem, quid  
 consilii caperent, ignari per minima et-  
 iam obstacula deterrentur: tandem  
 vero, cum Gallos adeo cunctanter ele-  
 ctionem urgere cernerent, animo erecti,  
 Caraffæ electionem evertere statuunt,  
 hancque in rem quemdam Cardinalem  
 natione Gallum proponunt, duosque  
 Cardinales Riccium, primum Montis Po-  
 litiani Episcopum, & Cornarum, seu  
 Cornelium ad Farnesium ablegant, si-  
 gnificantes, sese cuicumque, quem ipse  
 nominaverit, suffraguratos, dummodo  
 Carassa excluderetur: sollicitabant et-  
 iam Cardinales Sanctæ Floræ, & Tri-  
 dentinus Sabellium, & Cardinalem San-  
 cti Angeli, sed oleum, operamque per-  
 diderunt: unde Cæsarei spe sua deji-  
 ciebantur, cum suorum præcipuos in di-  
 versa abire, ac nequidem Cæsareæ vo-  
 luntatis

luntatis rationem habere cernerent: alios vero non paucos hinc inde titubare experirentur, nihilominus Caraffæ Cardinalis fautores utpote ad omnia intenti ad eos Moronum Cardinalem decernebant, ut eos partim precibus, partim minis ad sua studia pertraherent; ast incassum ceciderunt omnia, unde res admiratu digna erat, quod una ex parte Galli frustra rigente opposita factione unice ideo Caraffæ pertinaciter adhæserint, ut se prævaluisse gloriari possent: altera vero ex parte Cæsarei illum a Papatu constanter excluderint, quamvis ipsis etiam invitis eundem eligi probe cognoscerent. (\*)

## §. VII.

*Cardinalis Caraffa assumpto Pauli IV.  
nomine in Papam electus.*

Cete

(\*) Tota hujus conclavis descriptio merito inter Fabulas, licet minus artificiose confarcinatas rejicienda est, cum rursus Continuator Pallavicinum solum alleget, ille vero nec verbulum quidem de ejusmodi artibus proferat, alios autem Scriptores Continuator pro more suo non adducit, forte, ne ex hædera vinum acidum dignosci valeat.

*Hist. Eccles. Tom. XLII.*

N

Sæcul. XVI.  
A. C. 1555.

Sæcul XVI.  
A.C. 1555.

*Ciacon. in  
vit. Pont.  
tom 3. p. 810.  
Pallav. hist.  
Conc. Trid.  
l. 3. c. II.  
num. II.  
Raynald.  
hoc anno  
num. 21.  
Spond. n. 8.  
Et 9.*

Ceterum Cæsareorum factio indies imminuebatur; postquam enim Farnesius Poggium, Ferrariensem, & Farnensem Cardinales sibi conciliaverat, ultro ceteri pedem referre, ac majori numero cedere statuerunt, hinc ex suis quemdam decernebant, qui eos pariter Caraffæ accessuros, Gallis nuntiaret. Erant autem Cæsareæ factionis Cardinales numero novem, Tridentinus, Perusinus, Auria, Mont-Politianus, Cueva, Messinensis, Pacecus, Cicada, & Taliavia: Hi ergo Sanctæ Floræ, & Puteum Cardinales ablegabant, & quidem horum primum, ad id selegerunt, eoquod ad hanc electionem plurimum contulisset, alteri vero id injungebant, quia inter Cæsareos, qui nondum Caraffæ adhæserunt, facile princeps erat. His ita peractis ad ipsam electionem procedebatur, quæ jamjam duabus ante solis ortum horis inchoata nonnisi nocte ferme ad medium vergente absoluta fuit. Tandem Caraffa die vigesima tertia Maij, qua Christi ad coelos ascendens festivitas in Ecclesia celebrabatur, in summum Christi Vicarium electus fuit, moxque Patres iterato rogavit, ut nomen sibi assumendum proponerent: illis vero modeste tacentibus, ut erga Farnesium olim Paulum III. Patrum suum, a quo purpuram acceperat,

perat, gratam exhiberet memoriam, Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.  
 Paulus IV. appellari voluit. Promulgata illius electione Romani incredibili timore afficiebantur, suamque indignationem in ipsos etiam, quorum opera potissimum hæc nominatio fuerat facta, effundebant. (\*) Ex adverso Philippus Angliæ Rex, comperta hac electione quantocius datis ad Cæsarem Patrem suum literis eundem admonebat, ut amplissimam Legationem ad neo electum Pontificem decerneret, eique debitæ submissionis homagium præstaret. Verum Cæsar hæc reposuit: „nunquam hunc Virum nobis fuisse benevolum intellexi, & si fides habenda illis, quæ de illo mihi fuere relata, nunquam domui Austriacæ, cujus tamen imperio obnoxius erat, favebat: non igitur præmature agamus, sed  
 N 2 po-

(\*) Hujus timoris causam Andreas Victorius, alique his verbis significant: *Non omnium hominum erat mæstitia, sed eorum, quæ Pauli severitatem metuebant, eum coronatum Panvinius, Caracciolus & Castaldus dixerunt, multi, legum freno abjecto, vitam ducebant, eam autem vivendi licentiam a Paulo severitatis cultore coercendam putabant: hinc illæ lachrymæ, hinc ille mæror: Scelerum ofores Pontifice justitiam colente creato, & coronato lætati sunt.*

Sæcul. XVI. „potius præstolemur, quæ tanquam  
 A.C. 1555. „Pontifex facturus est., (\*)

## §. VIII.

*Articuli in conclavi conditi, ac per  
 novum Pontificem jurejurando  
 firmandi.*

**I**n iisdem Sacris comitiis Cardinales quosdam condebant articulos, quibus Neo-electum Pontificem Sacramenti religione obstringi postulabant (\*\*)

iique

(\*) Ad conciliandam huic fabulæ auctoritatem in margine allegat testes Ciaconium, Pallavicinum, Raynaldum, & Spondanum: ast in neutro horum, imo nequidem in Sleidano, Thuano, Sarpio alias fecundissimo mendaciorum Parente, nec in Panvinio, Palatio, Natali Alexandro, Bzovio, Gravesonio, vel Paggio ullum verbulum de hoc commento lego. Hinc Continuatore nostrum hac in occasione potius Novellarum Scriptorem, quam Historiæ Ecclesiasticæ testem egisse arbitror.

(\*\*) Rursus de hisce articulis apud præfatos, pluresque Historicos, quos solerter consului, altum silentium: Sarpus quidem mentionem facit de quibusdam articulis de more veteri propositis, eos tamen non recenset, ut semper ei liberum sit, Pontifices violatæ fidei insimulare.

iique erant sequentes. I. Neo-electus <sup>Sæcul. XVI:</sup>  
Pontifex tantum eos creet Cardinales, A. C. 1555.  
qui annos pro Sacris Ordinibus, qui-  
bus initiandi sunt, a Canonibus præscri-  
ptos attigerint, ac morum probitate,  
& vitæ integritate insignes insuper om-  
nibus scientiis suæ dignitati congruis  
imbuti sunt: II. Observetur Bulla Ju-  
lii III. qua cautum, ut duobus fratri-  
bus purpura non daretur, ne simul juncti  
in Sacro Collegio esse valeant. III.  
Octavo ante Cardinalium creationem  
die Papa in pleno Patrum Senatu de-  
claret, quod nullum alium Cardinalem  
ut vocant, *in pectore* sibi reservatum ha-  
bere, nec exiguo etiam tempore nomen  
illius, cui rubrum galerum conferre in-  
tendit, secretum tenere velit.

IV. Pontifex nullas ditiones, præ-  
dia, vel Status Ecclesiastici urbes aliis  
donet, commutet, nec in obsequii præ-  
stiti præmium, neve sub publicæ utili-  
tatis, vel urgentis necessitatis obtentu  
alienet, minus vero eas pignori det,  
neque illarum administrationem ad dies  
vitæ absque totius Sacri Collegii con-  
sensu aliis conferat, excipiantur tamen  
Personatus, seu feuda, quibus nulla est  
jurisdictio annexa, quæve aliunde jam  
a triginta, vel quadraginta annis alie-  
nari, aut in fœdum dari consueverunt,  
pariterque ea prædia, quæ deficien-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555. tibus hæredibus ad Sedem Apostolicam devolvuntur, vel nullius ferme momenti sunt, semper alienari poterunt: si vero cum præsentis statuti præjudicio quidam Cardinalis ad ejusmodi alienationem suo consensu concurreret, perpetuæ infamiæ nota mulctetur, quin ab ea unquam absolvi valeat. Huic quoque legi Cardinalium quivis, priusquam purpuram recipit, sese submittere adstringatur: neo - electus autem Pontifex octavo post electionem, vel inaugurationem die Constitutionem, qua præsentis articuli confirmantur, promulgare teneatur.

VI. Papa Episcopatus alias Cardinalium dignitati annexos Purpuratis nonnisi juxta antiquitatis ordinem conferat, nec etiam sese Regimini ingerat intra quindecim illos dies, qui Sacro Collegio reservantur: de cetero autem bona, quæ a Paulo III. ærario fuere addicta, vel ab ejus Ministris usurpata, eorum legitimis Dominis restituat, non obstantibus quibuscunque Bullis, aut Constitutionibus huic articulo adversantibus.

VII. Pontifex nulli Christiano Principi bellum nuntiet, aut foedus cum uno adversus alterum ineat, sed potius sese communem omnium Patrem cunctis exhibeat, ac neutri parti adhæreat,

nisi

nisi gravissimæ urgeant rationes prius  
in pleno Patrum Senatu, atque a po-  
tillima Cardinalium parte approbandæ.

Sæc. XVI.  
A. C. 1555.

VIII. Pro beneficiis, ut vocant, *Con-*  
*sistorialibus* non nisi in pleno Purpurato-  
rum confessu Bullæ expediantur, eæ-  
que confirmentur a Cameræ Aposto-  
licæ Cancellaria, non autem a Litera-  
rum Apostolicarum Scriba.

Omnes hosce articulos summus Pon-  
tifex se servaturum spondere jubebatur  
adjecto hoc jurejurando. „Ego N. N. in  
„Papam electus juro, & voveo, quod  
„articulos mihi prælectos omnes, &  
„in omnibus sincera, pura, ac integra  
„fide absque ulla verborum interpre-  
„tatione observare, atque adimplere  
„velim: ita me Deus adjuvet, ut eos  
observare valeam. Observat Sarpinus, quod  
Cardinalis Augustanus, Morono etiam  
ei suffragante, instanter petierit, ut in-  
ter articulos, in quos de more Cardi-  
nales in eligendo Pontifice jurare solent,  
hic inseratur, vi cuius statuatur, futu-  
rum Pontificem de Collegii consensu  
intra biennium Concilium convocatu-  
rum, ut reformatio cœpta ad exitum  
perducatur, & decernatur de ceteris,  
quæ supersunt, religionis controversiis;  
nec non via aliqua excogitetur, qua  
Tridentinum Concilium a Germanis de-  
mum recipiatur: hinc quoque additum,

N 4

ne

Sæcul. XVI. ne futuro Pontifici, aucto adeo Cardinalium numero, plures, quam quatuor intra biennium in eum ordinem adscribere liceat.

## §. IX.

*Initia, ac progressus Caraffæ Cardinalis usque ad suum Pontificatum.*

*Ciacon.*

*p. 809.*

*Pallav. l. 13.*

*cap. 11.*

*Foglieta in vita*

*Paul. 1 V.*

*Joan. Bapt.*

*Castaldi*

*in vita*

*Pauli 1 V.*

Insuperhabitis omnibus Cæsareæ factio- nis machinationibus Joannes Petrus Caraffa vix non octogesium ætatis suæ annum agens in Papatam fuit electus. Natus erat is in oppido S. Angeli de Scala (\*) die vigesima

(\*) Circa Nativitatis locum Continuator cum Panvinio hallucinatur, ut optime post Oldoinum observavit Paggius ad hunc annum num. 2. in suo Breviario Gest. Pontif. Rom. his verbis: *Caraffa natus est anno Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto quarto Kalendas Julii, non quidem in oppido S. Angeli de Scala, ut ait Panvinus, neque in Scala vico S. Angeli, ut scripserunt Ciaconius, Et Spondanus, sed in oppido Capriliæ, qui vicus est in Hirpinis prope Furcas Caudinas Romanorum olim clade celeberrimas, ut observat Oldoinus in Additionibus, Patre Joanne Antonio Matalonæ Comite, Et matre Victoria Cam-*

ma octava Junii Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, Patremque habuit Joannem Antonium Matalonæ Comitem, ac Dionedis Caraffæ filium, Matrem vero Victoriam Camponescam ex illustissima Aquilana familia progenitam. Egerat Joannes nonnisi decimum octavum ætatis annum, cum ab Alexandro VI. ut eidem a cubiculi secretis foret, nominaretur; mortuo autem hoc Pontifice, annos natus viginti octo a Julio II. Theatinus in Neapolis Regno Archiepiscopus salutabatur, ac paulo post ab eodem Papa ad Ferdinandum de Arragonia, qui Neapolitani Regni possessionem acceperat, Legatus decernebatur. Interfuit quoque Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo decimo tertio Lateranensi Concilio, inde vero a Leone X. ad Henricum VIII. Angliæ Regem Sedis Apostolicæ Nuntius, eademque dignitatis prærogativa insignis postmodum in Hispaniam ad Ferdinandum Regem mittebatur, cum vero Carolus V. Ferdinando succederet, ab eodem

N 5

Prin-

*Camponesca Aquilana: unde intelligas eum natum illustribus sane parentibus inter Neapolitanos proceres ea, ac nostra ætate facile primis; Et expleffe propemodum, cum factus est Papa, annum ætatis suæ septuagesimum nonum.*

Sæcul. XVI.  
A.C 1555.

Sæcul XVI Principe Brunduinus Archipræful se-  
A.C. 1555. ligebatur, hoc tamen Archiepiscopatu  
 haud diu potitus illum unacum Thea-  
 tina Ecclesia summo Pontifici cedebat,  
 ut sese Cajetano Theatino associaret,  
 unacum eo novam Clericorum Regu-  
 larium, qui postea Theatini nominaban-  
 tur, Congregationem erecturus, cui  
 etiam ipsemet per tres annos primus  
 præfuit, atque in supremo Ordinis sui  
 regimine Successorem habuit Cajeta-  
 num, qui Sanctorum fastis adscriptus  
 fuit. Rexit altera etiam vice Ordinem  
 suum Caraffa, postquam vero a Paulo  
 III. Pontifice Anno Christi millesimo  
 quingentesimo trigesimo sexto Cardina-  
 lium Collegio fuerat accensus, ab eo-  
 dem etiam Papa Theatinum Archie-  
 piscopatam eodem anno vacantem rur-  
 sus acceptare jubebatur, & demum  
 renuntiabatur Neapolitanus Archiepi-  
 scopus, cujus tamen Ecclesiæ possessio-  
 nem accipere Cæsaris jussu a Pro-Rege  
 prohibitus fuit: Carolus enim sibi su-  
 spectam habebat singularem benevolen-  
 tiam, qua hujus Regni Proceres Ca-  
 raffam prosequerantur, istaque una  
 ex præcipuis erat rationibus, ob quas  
 Cæsarei tam vehementer ejus electioni  
 obluctati fuerant.

## §. X.

*Coronationis solemnna.*

Sæcul. XVI.

A. C. 1555.

Itaque Pontifex assumpto Pauli IV. nomine die vigesima sexta Maij solemniter ritu coronabatur, eaque festivitas omnium maxime erat magnifica; quippe univèrsa urbs aulæis superbe erat ornata & Palatii Apostolici, ac Pontificis Ministri, necnon Nobiles armigeri, ac Cubicularii rubras vestes induti præibant, eosque sequebantur Archiepiscopi, atque Episcopi tum Romæ agentes, qui omnes Pontificali habitu, ac splendidis trabeis, albisque mitris incedebant insignes: demum vero ex Cardinalibus Diaconi tunicis, albique coloris mitris, Presbyteri vero casulis, tandemque Episcopi pretiosissimis trabeis, mitrisque ornati sequebantur. Tandem in sede affabre elaborata summus Pontifex sedens, magnique pretii palium indutus, ac thiamam gemmis pretiosis distinctam in capite gestans sub magnifico, auroque contexto umbraculo a Regum, Principumque Oratoribus Romæ commorantibus deferabatur. Hoc ordine Papa D. Petri Templum ingressus e Sede sua descendit, atque coram Altari primario genuflexus, indeque ad D. Andreæ Apostoli Sacellum delatus coronationis insignia accepit. Postea ad

*Guil. Parad.*  
*in cont. hist.*  
*sui temporis*

*Raynald*  
*hoc ann.*

*num. 22.*

*Ciaccon. t. 3.*  
*p. 812.*

*Raynald*  
*hoc ann.*  
*num. 22.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

ad Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Aram deferebatur, ubi rem divinam Pontificio ritu peragebat, qua finita eodem ordine ad Palatium sub festivis populi acclamationibus revertebatur, cumque ex Ecclesia exire pararet, Joannes Bellajus Cardinalis ejus capiti tiaram, seu coronam Pontificiam imposuit, Papa vero adstanti populo bene precabatur: quo facto omnibus arcis S. Angeli, & Palatii tormentis iterato explosis electionis suæ diploma a Sacro Collegio conceptum per Franciscum Pisanum Cardinalem Diaconum S. Marci alta voce prælegebatur. Postea ingens pecuniarum summa in pauperes fuit erogata: Pontifex vero, ut festivitati finem imponeret, omnes Cardinales, Ferrariæ, atque Urbinatis Duces, necnon Franciæ, & Lusitaniæ Regum Legatos, ac Venetæ, & Ragusinae Reipublicæ Oratores prandio excepit.

## §. XI.

*Plures Patrum Senatus Romæ a  
Papa habiti.*

*Raynald*  
*hoc ann.*

*n. 22. & 23.*

Feria quarta die vigesima nona ejusdem Mensis summus Pontifex in dicto Patrum Senatu Cardinalibus de ejus electione grates rependit, simulque quosdam jam antea a Marcello II. nomi-

nominatos deputavit, qui præconceptæ  
 morum emendationi incumberent. His  
 peractis postea actum est de pace inter  
 Christianos Principes restauranda: die  
 autem trigesima Maij, quæ erat feria  
 quinta, publicus habebatur Purpurato-  
 rum confessus, in quo Ferrariæ Dux,  
 qui ad obedientiam Marcello II. præ-  
 standam Romam venerat, idem sub-  
 missionis homagium Paulo III. exsolvit:  
 Agebatur insuper de emendandis cor-  
 ruptis Ecclesiasticorum moribus, sanc-  
 tumque, quod huic malo haud effica-  
 cius obviari possit, nisi probatæ virtu-  
 tis Viris Episcopatus, ac Parochiales  
 Ecclesiæ committerentur. In alio Pa-  
 trum confesso die quinta Junii celebrato  
 summus Pontifex de animarum salute  
 sollicitus sancivit, ut ad evitandum si-  
 moniæ, atque ambitionis vitium im-  
 posterum ad Regum, Principum, vel  
 eorum, quibus jus Patronatus compe-  
 tit, nominationem pro Ecclesiasticis  
 dignitatibus ad Ecclesias Patriarchales,  
 Metropolitanas, Cathedrales, & Mo-  
 nasteria nonnisi Viri idonei promo-  
 veantur.

## §. XII.

*Angliæ Legati ad Pontificis allo-  
 quium admissi.*

Præ-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1555.

Sæcul. XVI. A. C. 1555. Præterea Pallavicinus refert, die septima Junii alium Cardinalium conventum fuisse habitum, in quo auctoritate Apostolica Hibernia regni prærogativa fuerat donata, id petentibus Philippo, & Maria, eoquod Henricus VIII. durante schismate propria auctoritate sibi hunc titulum vendicasset. (\*) Porro hujus congressus ratio præcipua erat, quod Angliæ Legati Romam adventantes a summo Pontifice duos sibi favores concedi efflagitarent, scilicet ut datam schismatis veniam ratam haberet, nec non Hiberniam regio titulo decoraret. Hanc in rem Papa die vigesima prima Junii, vel juxta aliorum relationes vigesima tertia ejusdem Mensis in Purpuratorum Senatu Angliæ Legatos ad alloquium admittebat, eosque ita alloquebatur: „ut Angliæ Regi, atque Reginae luculenter nostram benevolentiam testatam reddamus, virtute Apostolica Hiberniam in Regnum evehimus.„ His dictis Legati in genua provoluti nationis Anglicæ rebellionem, ac schisma confessi ab omni censura liberati rediere.

*Burnet hist.*  
*Ref. t. 2. l. 1.*  
*p. 464.*

§. XIII.

(\*) Hac super re fatis utiliter consuli poterit ipsemet Pallavicinus, qui *Suavis*, seu *Sarpi* mendacia refellit.

## §. XIII.

Sæcul. XVI.  
A C. 1555.*Papa bonorum Ecclesiasticorum in Anglia restitutionem a Legatis petens.*

Absoluto hoc confesso summus Pontifex privatim sæpius cum hisce Legatis conferebat, ac non raro querebatur, quod bona Ecclesiastica nondum fuissent restituta, quocirca illis hæc significabat: „ejusmodi bona ab „alio usurpari haud tolerandum est; „Deo enim semel dicata ad usum civilem nunquam denuo applicari possunt, „& is, qui quacunque eorum partem possidet, damnationis periculo est obnoxius. Mihi quidem non deest promptissima ad ea elargienda voluntas, si „facultas adesset, tum propter eam, „qua Regnum universum complector, „paternam pietatem, tum propter filialem, quam in ipsis expertus sum, dilectionem, & obedientiam: se. i mihi „non licet auctoritatis meæ fines extendere ad res Deo consecratas profanis „usibus applicandas. Interim unum „hoc Anglis persuasum cupio, earum „rerum possessionem illicitam, esse anathema, & contagionem, quæ ut vindicetur, Regnum Angliæ habebit pro „Comite individuo perpetuam miseriam, „ac infelicitatem., His dictis Legatos im-

*Raynald  
num 29.*

Sæcul. XVI. impense rogabat, ut hac super re da-  
A.C. 1555 tis ad Philippum, & Mariam literis  
 eos gravibus verbis admonerent, neque  
 femel id monuisse contentus, id ipsum  
 omnibus occasionibus iterabat, nec  
 non disertis etiam verbis præcepit, ut  
 primo quoque tempore exactiorem de-  
 nariorum Divi Petri in usum revocan-  
 dam curarent, eo quod de more exacto-  
 rem, illuc mittere decreverit; ipseque  
 hoc munus in Angliam hanc ob causam  
 missus totos tres annos obierit, maxi-  
 ma cum voluptate, cum tantam non  
 modo in populo, sed etiam in tenuiori-  
 bus e plebe ad pendendum prompti-  
 tudinem cerneret, neque unquam spe-  
 randum ajebat, ipsis apertum iri a  
 Beato Petro cœli portam, quamdiu ea,  
 quæ in terris ipsius propria sunt, cum  
 summa ejus Divi injuria usurparent.  
 (\*) Verum ad hæc Legati, ne Pontifi-  
 cem

---

(\*) Haud dissimulandum est, quod Conti-  
 nuator circa hæc Pontificis verba Odoricum  
 Raynaldum tanquam unicum testem alleget,  
 cum tamen is loc. cit. hanc rem utpote ma-  
 joris momenti ad proxima Patrum comitia  
 rejectam fuisse duntaxat referat, magis tamen  
 Continuatori vitio dandum, quod omnia hæc  
 ad verbum ex suo mendaci, ac livido Sarpio  
 descripserit, & tamen ipse illum allegare  
 erubuerit.

cem irritarent, obmutescabant, & non-Sæcul. XVI.  
nisi ea, quæ magis suis commodis con- A.C. 555.  
gruere censebant, exequabantur.

## §. XIV.

*Hæretici in Anglia rursus multati.*

Cum hæc interea Romæ agerentur, Angliæ Senatui nuntiabatur, quod Judices ad conciliandam pacem constituti, præcipue in Norfolcienfi Provincia ob nimiam indulgentiam statuta, ac leges contra hæreticos a Regina latas exequi cunctarentur, hinc eisdem præcipiebatur, ut cum majori solertia, quis rerum status esset, deinceps indagarent, ac Catholicos Verbi Divini Præcones protegerent: hæresin vero spargentes, vel Ecclesiasticorum rituum contemptores ejicerent. Insuper ipsemet Rex, ac Regina Bonnerum, qui nonnihil a severa, qua prius hæc leges exequebatur, sedulitate remittebat, datis literis stimulabant, ut aucto fervore in hæreticos inquireret, eosque, si suæ sectæ pertinaces insisterent, juxta legum rigorem plecteret. His literis stimulati judices Bretfordum, qui jam dudum capitali sententia damnatus dilato supplicio ad carceres reducebatur, tandem Mense Julio regi supplicio affecerunt, cum paucis ante diebus, seu trigesima Julii Joannes Card-

*Hist. Eccles. Tom. XLII.*

O mache-

**Sæcul. XVI.** macherus Theologiæ Professor, necnon  
**A C. 555** Londinensis quidam aulæorum opifex  
 nomine Joannes Warne pariter Smid-  
 feldiæ combusti fuissent. Eo fato et-  
 iam periere die decima Junii Coxhallæ  
 Thomas Haukes Exoniensis Provinciæ  
 Nobilis præter plures alios, inter quos  
 præcipui erant Ridlejus, & Latimerus,  
 quorum primus erat Londinensis Epi-  
 scopus; alter vero sub Henrici VIII.  
 regimine Vigorniensis Antistes, qui  
 ambo Mense Novembri capitali senten-  
 tia fuere mulctati.

## §. XV.

*Philippus ex Anglia in Flandriam  
 profectus Cæsarem invisurus.*

*Ant. Vera  
 hist. de  
 Charl. V.  
 p. 283.  
 & 290.*

Die quarta Septembris Philippus ex  
 Anglia discessit, Reginam Conju-  
 gem suam pertæsus, eoquod ei ad con-  
 ciliandum amorem tam juvenilis æta-  
 tis ardor, quam formæ elegantia de-  
 esset, atque aliunde etiam ob sterilita-  
 tem anxias Marito suo curas crearet.  
 Nihilominus itineris sui causam allega-  
 bat regnorum sollicitudinem, eoquod  
 Sanguinis jure proximus illorum hæres  
 Caroli V. Patris sui voluntati obsequi  
 teneretur, cum hic eidem imperii sui  
 administrationem cedere cogitaret. In-  
 super præcavere cogebatur Philippus  
 cunctis tumultibus, qui ex Joannæ  
 Avix

Aviæ suæ obitu oriri possent; nam hæc nuperrime quarta Aprilis in urbe Turresilana in Hispania anno ætatis suæ septuagesimo tertio mortalitatem exuerat: igitur Philippus Bruxellas eodem venit die, quo Cæsar per Nuntium a Joanne Manriquez suo apud Pontificem Legato missum compererat, quod Paulus IV. Papa animum a Domo Austriaca aversum indies luculentius testatum redderet. Hanc ergo notitiam Carolus etiam significabat Philippo Filio suo, qui protinus juvenili suo ardore abreptus ajebat: „si meum consilium sequi luberet, nil consultius foret, ac Pontifici palam adversari, atque in id incumbere, ut Papa expertus sciat, quanta sit Austriacæ Domus potentia: Verum Imperator majori moderatione usus reponebat: lentius incedendum esse, ampliora enim commoda moderationis via, quam intempestiva violentia impetrari. Quapropter Cæsar hanc regulam secutus datis Romam literis suo Legato injunxit, ut suo nomine summum Pontificem veneraretur, eique filialis obsequii homagium præstaret. (\*)

O 2

§. XVI.

(\*) Ægre hæc, benevole Lector, conciliabis cum iis, quæ Continuator §. VII. abs teste

Sæc. XVI.  
A.C. 1555.

Sæcul XVI.

§. XVI.

A. C. 1555.

*Carolus V. Belgium Philippo Filio suo cedens.*

*Vera p. 291.**Strada de bello Belg.**l. I.**Thu. l. 16.**num. 11.*

Paulo post Carolus Cæsar Belgicarum Provinciarum, ac Regni Hispaniæ abdicationem, quam dudum Philippo Filio suo promiserat, tandem exequi statuit, hancque in rem convocatis Ordinibus, ac imperii sui Proceribus die vigesima quinta Octobris Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto præsentibus cunctis semetipsum magna Orbis parte spoliabat. Hæc acta fuere cum ingenti pompa, ac solem-

teste referebat: Si enim Imperator insuperhabita Philippi Filii sui sollicitatione per Legationem Neo-electo Pontifici filiale obsequium præstare renuerit, eoquod illum Austriacæ Domui minus propensum suspicaretur, ac proin prius Pontificis animum magis explorandum esse censuerit (ut narrat Continuator) quomodo idem Imperator post trimestre per Legatum suum de averso Pontificis animo certior factus, atque ad ultionem a Philippo filio suo sollicitatus, ea tamen uti potuit moderatione, ut etiam filiale Pontifici obsequium per suum Legatum offerri juberet? Attamen ejusmodi hallucinationes Scriptoribus partium studio abreptis, & obvia quæque ex aliis Historicis sine crisi deflorantibus sat solemnes sunt.

solemnitate; quippe Cæsar throno suo infidebat, dextrum ejus latus stipantibus Philippo Filio suo, Maximiliano Bohemorum Rege, ac Emanuele Philiberto Sabaudix Duce: a Sinistris autem confidebant ejus Sorores Eleonora, & Maria, ex quibus prior erat Francix, & altera Hungariæ regina: ambæ autem viduæ, nec minus ea ex parte suas sedes habebant Maria Bohemix Regina, & Christina Daniæ Regis Filia, ac Lotharingix Ducissa. Primo Cæsar Philippum filium Ordini equitum aurei Velleris solemniter præfecerat: dein vero Philiberto, qui Bruxellis erat principalis concilii Senator, præcepit, ut ea, quæ in mandatis acceperat, ad Belgarum Ordines proloqueretur: Porro summa dictorum eius hæc fuit. „Cæsar „ingravescente indies valetudine præfractus, prostratusque serio admoneatur, ut suprema componat, & cum rerum molem sustinere diutius pro dignitate, quæ ipsum, Imperiumque deceat, haud possit, eam mature transferat in Philippum filium Angliæ Regem, ætate, ac Sapiencia tanto oneri parum: itaque Cæsar, quod sibi, quod Regi, quod provinciis bene vertat, omni se Belgii, Burgundiæque imperio abdicat, & juratam sibi fidem populis remittit, ac Philippo filio Angliæ

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

Sæc. XVI.  
A.C. 1555

„liæ Regi, jus, possessionemque Belgii,  
„Burgundiæque ex animi Sententia  
„tradit.“

§. XVII.

*Cæsaris oratio ad Congregatos  
Principes.*

*Strada l. 6.  
f. 5. l. 1.  
Vera p. 292.*

Philiberto ita perorante, Cæsar codicem in manu sua tenens, humerisque Guilielmi Arausionensis Principis innixus Philibertum interpellat, suumque ipse ad congregatos Sermonem convertens, præprimis Gallica lingua protulit ea, quæ a septimo decimo ætatis suæ anno ad eam usque diem peregerat, ac præcipue recensebat expeditiones, profectionesque novem in Germaniam, sex in Hispaniam, septem in Italiam, quatuor in Gallias, decem in Belgium, duas in Angliam, totidemque in Africam, mari undecies remensos insuper bella, paces, fœdera, victorias enucleate singula, magnificeque, ac minus arroganter, aut superbe enarrabat, hisque ista addebat: „meis in operibus non alium mihi finem proposui, quam Religionis, & Imperii tutelam, id ipsum autem dum per valetudinem licuit, ita Deo Duce præstiti, ut Cærolum hætenus vixisse, & imperasse, nullos nisi hostes pœnitere possit: jam vero quando vires, ac propemèdum  
vita

„vita deficiunt, non præfero domj-  
 „nandi amorem meorum salutem. Porro  
 „sola jam Lutheri hæresis æque, ac  
 „illius fautores, necnon quorundam  
 „Principum Catholicorum invidiæ regni  
 „mei tranquillitatem aliquamdiu inter-  
 „turbabant, quapropter non in omni-  
 „bus meis consiliis prosperum consequi  
 „exitum, nec semper id, quod bene  
 „proposui, exequi poteram, & quam-  
 „vis totius Regiminis mei ratio non nisi  
 „longa laborum series fuerit, nil tamen  
 „magis molestum mihi accidit, quam  
 „illa rerum vicissitudo, ob quam co-  
 „actum me senseram, ut pro Religionis  
 „augmento laborare desisterem: nunc  
 „ergo animi mei tranquillitatem in rem  
 „meam vertere, ac consilium, quod ce-  
 „peram, opportune executioni dare  
 „cogito., Itaque pro sene membris ca-  
 „pto, ac magna parte præsepulto, validum  
 „juventa, experrectique vigoris, ac virtutis  
 „Principem substituo. Vos autem rogo, ut  
 „eidem obedientiam præstetis, simulque inter  
 „vos concordiam, atque in Orthodoxa Reli-  
 „gione constantiam sedulo servetis, nec non  
 „mihi, si quid in ea cura peccatum fuerit,  
 „benigne condonetis. Ego certe vestræ fidei,  
 „obsequiique semper ero memor apud Deum, cui  
 „uni victurus sum per paucos illos dies, qui  
 „supererunt.

Sæcul. XVI.

A. C. 1555

§. XVIII.

Alia Cæsaris oratio ad Filium suum.

Tandem sermonem convertens ad Filium suum, ita prosequeretur: Si hæc Provinciarum possessio ad te morte mea pervenisset; meritis aliquid essem apud te filium meum relicto tam opulento, auctoque per me patrimonio: Nunc, quando non necessitatis hæc, sed voluntatis hæreditas est, & præmori Patrem libuit, ut mortis beneficium anteverterem, quidquid mihi pro hac anticipati temporis usura plus debes, id in horum amorem, curamque populorum ut transferas, jure postulo. Reliqui Reges se filiis vitam tradere & regna se tradituros gaudent. Ego posthumum hoc donum præripere fato volui, geminatum gaudium arbitratus, si te non magis viventem ex me, quam ex me regnantem vivus aspicerem. Exemplum hoc meum pauci imitabuntur, nam & Ego, quem sequerer, ex omni retro antiquitate vix habui: laudabunt certe consilium, ubi te dignum comperient, in quo prima hæc documenta monstrarentur. Id efficias, si quam adhuc coluisti Sapientiam, si Dominatoris omnium timorem, si Catholice Religionis patrocinium, si juris, legumque tutelam, vera utique Regnorum firmamenta, perpetuo retinueris. Unum superest, quod voveam ad extremum Pater, ut tibi proles hujusmodi adolescat, in quam  
regna

*regna libere transferre possis, sed necesse non* Sæcul. XVI.  
*habeas.* A.C. 1555.

Hæc effatus Imperator procumbentem in genua filium, poscentemque Patris dexteram arcte complectitur, ac coelestem illi opem, imposta ejus capiti manu, pie, paterneque precatus subortis lacrymis substitit, ex eorumque, qui aderant, oculis ubertim lacrymas expressit. Tum Philippus & reverenter osculatus Patris dexteram, & humaniter Belgarum Ordinibus assurgens, excusata apud eos Gallicæ Linqæ ignoratione, jussit pro se id muneris exequi Antonium Perenottum Granvellanum Atrebatensem Antistitem, qui Regis mentem prout gratam in Parentem, ita paternis monitis, exemplisque animatam erga Belgarum populos, differatissima est oratione interpretatus: Jacobus vero Masius juris, & eloquentiæ consultus, Ordinum Belgarum nomine respondit, tandem autem, cum Maria Hungariæ Regina Belgii gubernationem, quam annos quinque, ac viginti pro Cæsare fratre obtinuerat, ejurasset, eo die confessus dimissus est: Carolus tamen valedicens hæc subjunxit verba:

„Filioli mei, cor meum commotum  
„sentio, ac non sine dolore vos relin-  
„quo : „ his dictis conversus ad Philip-  
pum Filium suum, ejus benevolentia

Sæcul. XVI. Franciscum de Erafo Moralesiæ Com-  
A.C. 1555. mendatorem commendabat, hæc sub-  
 jungens: totum, quod tibi cessi, hujus  
 „famuli pretio non æquivalet.“ Duo-  
 bus dein mensibus interjectis, majori  
 adhuc hominum celebritate, cum fama  
 latius emanasset, Regnis, Provinciis,  
 Insulisque tam in nostro, quam in novo  
 terrarum orbe exuens se Cæsar, eorum  
 semel omnium possessionem, ac jura Phi-  
 lippo filio addixit.

## §. XIX.

*Augustus Saxoniae Elector Augustanus comitiis interesse recusans.*

*Steidan.*

*comm. l. 26.*

Cum interea hæc Bruxellis gereren-  
 tur, Ferdinandus Romanorum Rex  
 Augustam delatus comitiis eo convo-  
 catis præerat, atque Imperii Princi-  
 pes, ut ad illa accederent, summis  
 precibus sollicitabat, præcipue vero Au-  
 gustum Saxoniae Electorem, qui tamen  
 jam antea, quo minus venire posset,  
 sese excusabat, obtendens Saxoniae sta-  
 tum non satis tranquillum, præter exi-  
 guam spem, quod tandem Religionis  
 dissidia tolli possent, cum Catholici fu-  
 nesto prorsus conatu Confessionem Au-  
 gustanam vehementer impugnent, quam-  
 vis certo scire deberent, ut inquebat  
 Elector, librum hunc esse purum, &  
 pium scriptum, illoque Filium Dei Sa-  
 lutis

lutis authorem nobis ostendi, nec non Sæcul. XVI.  
 eum in doctrina plane consentire cum A.C. 1555.  
 Ecclesia veteri, præcipuisque illis qua-  
 tuor Conciliis, atque opera vere  
 Christiana commendare, & tradere.

His subjunxit: *Si jam firma, certa que  
 pax in his Comitibus constituatur, non du-  
 bium est, quin Cæsar, & ego maxima  
 possimus per Germaniam auxilia in Turcam  
 comparare, cum alioquin etiam hi, qui  
 sunt Augustanæ Confessionis, & quidem  
 plerique nati, & educati in ea religione  
 constanter sunt in illa ipsa permansuri.*  
 Enimvero, quæ Augustus prædixerat,  
 vix non omnia re ipsa evenere; quippe  
 ex hoc Augustano conventu ferme nulla  
 oriebatur utilitas; nam multum qui-  
 dem, acriterque fuit disputatum, sed  
 pauca admodum fuere decisa. Nihil-  
 ominus Catholici edito libello Religio-  
 nis suæ veritatem demonstratum ibant,  
 & Protestantibus fat luculenter osten-  
 debant, quod ad Ecclesiam redire, ei-  
 que sese subjicere teneantur, ex adverso  
 autem Protestantes hoc scriptum refel-  
 lere nitebantur: ast nec horum, nec  
 illorum libri cuidam usui fuerunt, imo  
 nequidem in comitiis producebantur.

Sæcul. XVI.

§. XX.

A.C. 1555.Articuli circa Religionem in Augustanis comitiis utrinque stabiliti.Sleid. p.  
l. 26.

Pallav. l. 13.

c. 13. n. 9.

Thu. l. 16.

num. 9.

Belcar.

comm. l. 26.

num. 65.

Tandem habitis pluribus Sessionibus condebatur decretum, quod publice prælectum, ac die vigesima quinta Septembris fuit promulgatum, quamvis id ipsum componendis diffidiis parum aptum videretur. Complectebatur illud septendecim articulos, quorum præcipuos huc adducemus. I. Propter Augustanæ confessionis doctrinam, religionem, atque fidem, Cæsar, Ferdinandus Rex, cæterique Principes, ac Ordines, neminem totius Imperii quocunque modo violent, nec ad deserendam religionem suam, ceremonias, atque leges, quas in sua ditione, vel jam instituerunt, vel posthac instituent confessionis Augustanæ Socii, mandatis, aut alia quavis ratione cogant, neve contemnant etiam, sed hanc religionem illis liberam permittant, simulque bona, facultates, vectigalia, possessiones atque jura, ita ut pacate possint eis uti, & frui: II. dissidium quoque Religionis, non aliis, quam piis, amicis & tranquillis rationibus componatur. III. Eodem modo, qui sunt confessionis Augustanæ, sese gerent erga Cæsarem, Ferdinandum Regem, cæterosque Principes, ac Ordines antiquæ Religionis conjunctos, tam Sacros, quam civiles, erga cæte-

*cæteros omnes Ecclesiastici Status, eorum- Sæcul. XVI.  
 que Collegia, quocumque tandem illi migra- A. C 1555  
 rint habitandi caussa, modo ut recte procu-  
 rentur ministeria, sicut infra dicetur IV.  
 his omnibus & religionem suam, & cere-  
 monias, & leges, & possessiones, & vecti-  
 galia, cæteraque jura libere permittant,  
 nec ulla ratione impediunt, quominus illis  
 pacate utantur, fruantur, & quicquid erit  
 offensionis, atque litis, more, ac legibus  
 Imperii desiniatur utrobique. V. qui non  
 sunt alterutrius religionis, hac in pace non  
 comprehendantur. VI. Si quis Archiepi-  
 scopus, Episcopus, Antistes, aut alius Or-  
 dinis Ecclesiastici a religione veteri deficiet,  
 is continuo decedat ab Episcopatu suo, præ-  
 fectura, beneficio, simul cum omnibus et-  
 iam fructibus, quos inde percepit: VII.  
 Idipsum tamen ad nullam ejus infamiam  
 pertinebit: VIII. Collegio, sive iis, ad  
 quos ea res jure, vel consuetudine perti-  
 net, liceat, & integrum sit in ejus locum  
 eligere, seu constituere alium, qui sit ve-  
 teris religionis, quo nimirum institutionis,  
 electionis, præsentationis, confirmationis,  
 & id genus alia jura simul cum tranquilla  
 possessione bonorum integra illis permaneant,  
 sic tamen, ut futuræ conciliationi religio-  
 nis, de qua dictum est, nihil hoc ipso de-  
 trahatur. IX. Et quia nonnulli Ordines  
 Imperii, eorumque Majores, quasdam præ-  
 fecturas Ecclesiasticas, collegia Monacho-  
 rum,*

Sæcul. XVI. rum, & id genus alia bona sacra sibi  
A. C. 1555. sumpserunt, eaque ministeriis Ecclesiæ, Scho-  
 lis, & aliis bonis usibus accommodarunt,  
 non interpellentur hoc nomine, nec in jus  
 propterea vocentur, sed ejusmodi bona,  
 nimirum, quæ non pertinent ad ordines  
 Imperii, vel alios Imperio plane subjectos,  
 & quorum possessionem tempore transactio-  
 nis Passaviensis, & post etiam Ecclesia-  
 stici non habuerunt, suo loco permaneant,  
 & hac in pace comprehendantur: neque  
 Cameræe judicibus, propter hæc ab illis  
 usurpata, & alienata bona, jure quicquam  
 adversus illos experiri, seu decernere li-  
 ceat. X. Jurisdictio Sacra non exercea-  
 tur, neque locum habeat adversus Augu-  
 stance Confessionis religionem, fidem, ritus,  
 leges, Ministerium Ecclesiasticum: sed su-  
 spensa maneat, & sistatur, nec ullum im-  
 pedimentum illis inferat, quoad integre  
 sublatum erit dissidium: in cæteris autem  
 rebus, extra religionem, ceremonias, leges,  
 ac ministerium positus valeat, & exercea-  
 tur pro veteri more, atque jure, XI.  
 deinde toti Ordini Ecclesiastico suæ facul-  
 tates, vectigalia, jura nihilominus integra  
 maneant, sic tamen, ut ii, quorum in di-  
 tione sunt ejusmodi bona, sui juris poli-  
 tici, quod ante dissidium hoc religionis ha-  
 buerunt, nihil amittant. XII. Ad hæc,  
 ut ex iis ipsis bonis, necessaria Ecclesiæ  
 ministeria, paræciæ, Scholæ, elemosynæ,  
 loca,

loca, hospitalia pauperum, & afflictorum, Sæcul XVI.  
 sicut olim constituta fuerunt, ita nunc et A.C. 1555.  
 iam constituantur, & foveantur, non ha-  
 bita ratione, utrius illi sint religionis,  
 quorum in usus hoc subsidium, & alimo-  
 nia confertur. XIV. quodsi propter hanc  
 alimoniam, ejusque modos lis oriatur, &  
 disceptatio, de consensu partium arbitri  
 deligantur, qui facta notione intra se-  
 mestre tempus decernant, & statuam, quan-  
 tum in ejusmodi usus, & ministeria de-  
 cidi, & conferri debeat: XV. interea  
 dum lis pendet, ii, quorum est conferre  
 subsidium in eos usus, non impediuntur  
 in sua possessione, verumtamen quod anti-  
 quitus dare solebant, nunc etiam conferant,  
 donec lis expediatur.

## §. XXI.

*Pontificis querelæ contra hoc decretum.*

*Ferdinandi responsum.*

Quamprimum summus Pontifex de hoc *Pallav. l. 13.*  
 decreto fuerat certior factus, mox *c. 14. n. 1. & 2*  
 per Nuntium suum Delphinum apud  
 Ferdinandum Regem graviter quereba-  
 tur; verum hic in superhabitis ejusmo-  
 di querelis ita respondit: „aperta ne-  
 cessitas me ab omni culpa reddit im-  
 munem, nec aliud præter maximum  
 „Religionis augmentum quæro.“ Quin  
 imo referunt, quod Cæsar comperiens  
 Pontificis indignationem propter hoc  
 decre-

**Sæcul. XVI.** decretum conceptam ad suos familiares  
A.C. 1555 dixerit: attendant ad Pontificis quere-  
 las, sequanturque Romanæ Curiaë præ-  
 cepta illi, qui sibi negotium faceffere vo-  
 lunt. Itaque summus Pontifex, cum se  
 sperni cerneret, altius adhuc instabat:  
 verum hac ipsa sua severitate magis ad-  
 huc animos exasperabat; quippe vehe-  
 mentius excandescens coram Caroli V.  
 Legato, ac Cardinale Augustano has mi-  
 nas protulit: „efficiam, ut Cæsar, &  
 „Ferdinandus cum maximo dolore suo  
 „intelligent, quam gravi injuria Sedem  
 „Apostolicam violarint: decretum igitur  
 „hoc ut revocent, constans peto, nisi me  
 „ad censuras provocare velint. „ Equi-  
 dem Orator Pontifici respondens com-  
 memorabat vires Protestantium in Ger-  
 mania, nuperumque contra Cæsarem  
 bellum, in quo parum abfuit, quin Cæ-  
 sar Oeniponti caperetur: nec minus ob-  
 tendebat jusjurandum, quod Imperator  
 & Ferdinandus præstiterant: at Papa  
 nihilo factus pacatior, de jurejurando  
 replicavit, quod ab omni Sacramento  
 liberet eos, & absolvat, immo imperet,  
 ut ad illud non attendant. De cœtero,  
 ubi de caussa Dei agitur, non respicien-  
 dum aiebat ad consilia humana: his  
 addebat, quod Cæsar divina permissio-  
 ne adductus in periculum fuerit, cum  
 officium suum non fecerit pro eo, ac de-  
 buit,

buit, & potuit in Germania ad Sedis Apostolicæ obsequium reducenda.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1555.

Applaudebatur vehementi Pontificis fervori Carolus Caraffa (\*) ejus Nepos, qui die septima Junii Cardinalium Collegio adscriptus militare genium, quamvis Romanam purpuram jam accepisset, necdum penitus exuerat, sed potius bellico æstro abreptus Pontifici auctor existerat, ut non modo sacra, sed & profana potestate uteretur, hacque via promptam, magisque efficacem obedientiam a suis sibi polliceri posset. Itaque, inquebat Cardinalis, gladium, ac potestatem temporalem sua Sanctitas non sinat hebescere, eo quod altera sine ista vilesceret: confociatæ autem rebus maximis patrandis essent idoneæ.

(\*\*) Verum Pontifex hisce Nepotis sui sollicitationibus aliquamdiu obluetabatur, tandem vero assiduis ejusdem monitis expugnatus bello rebus suis admo-

(\*) Hæc Continuator rursus ex suo Sarpio defloravit, quem tamen allegare non audebat, cum illius maledica commenta a Pallavicino loco a Continuatore citato confutata noverat. Hæccine est Scriptoris Catholici (ut videri amat) integritas!

(\*\*) Denuo hujus fabulæ testem haud alium habet Continuator, nisi Sarpium suum,

*Hist. Eccles. Tom. XLII.*

P

Sæcul. XVI. admodum pernicioso sese implicare sta-  
 A.C. 1555. tuit.

Præprimis ergo indignationem suam in Columnenses, ac Vitellios Domui Austriacæ addictissimos eo fine effundebat, ut duas hæc familias Gallis oppido adversas vel subigeret, aut si posset, omnino deleret, nam non solum eorum, qui sibi amicitia junctos persequabantur, cruciatibus delectari cupiebat, sed etiam opportunitatem nancisci volebat, qua Gallis magis adhuc luculenta amicitiae suæ specimina exhibere posset.

§. XXII.

*Senensis urbs Cæsari reddita.*

Jam Pontificiæ indignationis obtentum percipiamus: cum enim annona indies in Senensi urbe deficeret, civesque ulterius obsidionis impetum sustinendo impares essent, tandem die vigesima prima Aprilis deditio pactis hæc conditionibus facta est *I. Cæsar civitatem, ac rempublicam Senensium in suam, & Imperii fidem accipiat, salva libertate, ac Magistratuum antiqua auctoritate: II. præteritorum oblivio inducatur, III. cives suis bonis, ac dignitati restituantur, liceret tamen iis, qui velint, vel solis, vel cum omni familia inde migrare, & quo videbitur, proficisci; IV. ad tuendam, & conservan-*

*dam*

dam Urbem Cæsari jus sit, quantum velit præsidium ex quacunque natione imponere, quod suis sumptibus alere teneatur, ita tamen, ut non nisi de civium consensu arcem in civitate novam exstruat, aut dirutam instauret; V. propugnacula ad Urbem durante obsidione, aut antea extructa statim post deditorem, & introductum præsidium diruantur; VI. Cæsari liceat rempublicam arbitrio suo constituere, juxta montium, & regionum ordinem in republica hætenus receptum, salva tamen Præfecti Urbis, Senatus & Magistratum tam urbanorum, quam extra urbem auctoritate, immunitatibus, ac privilegiis: VII. liberum sit Montlucis, ceterisque Gallis ducibus, ac militibus, necnon Italis, qui eorum partes secuti erant, inde exire cum armis, signis explicitis, tympanis, ceteroque belli instrumento, & omnibus impedimentis; VIII. cautum, ne eo beneficio uti possint, quos exules, & rebelles Cæsar, ac Cosmas appellabant.

Attamen postremum hunc articulum Montlucis immutari voluit, ac proin una omnes æquali jure de urbe exeundi facultatem obtinebant, seseque ad Ilcini montem recipiebant, ubi Senenses, qui patriam suam reliquerant, sub Regis Franciæ auspiciis Rempublicam constituto etiam Senatu erexerant: Montlucis vero Massilia solvit, ac in

Sæcul. XVI. Gallias delatus Ordinis Sancti Michaelis insignibus fuit decoratus (\*).

## §. XXIII.

*Belli a Papa inchoati occasio.*

*Thu. l. 16.*

*Pallav. l. 13.*

*c. 14. n. 6. & 7.*

Postquam Sanflorianus Comes Sfortianæ familiæ caput Senensem urbem Cæsari redditam, indeque Gallorum vires in Italia admodum incliuatas cerne-  
ret, ambos fratres suos a Franciæ signis abstraxit. Hos inter Carolus, qui Maf-  
filæ tres triremes optime instructas te-  
nebat, præprimis petebat, ut, priusquam  
a Regis obsequio discederet, duas sal-  
tem triremes in quemdam Cæsaris  
portum posset adducere, ne nudus, &  
inermis ad eum transiisse videretur. Id  
ut sine suspicione perficeret, Centum-  
cellas Pontificiæ ditionis oppidum eas  
evocaverat, quæ illinc mox Regis per-  
missu, & Nicolai Alemanni ductu, cui  
illas Rex commendaverat, appulsæ sunt.  
Quamprimum igitur hæ triremes ad-  
venerant, mox Alexander Caroli frater,  
cum istas ab eodem se emisse diceret,  
dejectis inde Gallis illas sui juris fecit,  
neque

---

(\*) Ecce ! quantam ab alto Continuator  
repetere cogatur causam, ut Pontificem inju-  
ste Cæsari indignatum depingere posset; non  
enim ipsi placuit genuina ratio a Pallavicino  
lib. 13. cap. 14. n. 2. & sequentibus allata.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

neque tamen eas inde deducere potuit, eoquod excitato tumultu Petrus Capuanus arcis Præfectus, cum Alemanus de injuria apud ipsum quereretur, portu clauso prohiberet, ne inde exiret.

Postea Cardinalis Sanctæ Floræ Caroli frater per Lattinium, quem a secretis habebat, a Joanne Montorio Comite diploma Civitatis veteris Præfecto inscriptum impetrabat, quo huic injungebatur, ut Alexandrum cum triremibus libere dimitteret. Paruit hisce jussis Præfectus, atque Alexander cum suis triremibus Cajetam, inde vero Neapolin ad Bernardum Mendozam profectus est.

## §. XXIV.

*Cardinalis S. Floræ, Columna, aliique  
Papæ jussu in Arce S. Angeli  
inclusi.*

Vix summus Pontifex hanc violentiam per Franciæ Oratorem commiserat, cum illico gravi ira commotus Sanctæ Floræ Cardinali sub severis minis mandaret, ut triremes quamprimum reducendas, & Alemanno restituendas curaret: Alexandrum vero citari jussit, ut tam audacis facti rationem redderet.

*Pallav. n. 8.  
Es 9.  
Belcar. l. 26.  
n. 4.*

Sæcul. XVI. Hanc Pontificis indignationem non  
A.C. 1555. parum accendebat Cardinalis Caraffa;  
 quippe is eidem quædam, an vera, vel  
 falsa, ignoratur, indicia prodebat cujus-  
 dam conspirationis ab Hispanis in Ponti-  
 ficem initæ, atque in Sanct-Floriani  
 Camerarii ædibus decretæ. Re comper-  
 ta Paulus Papa quantocius eum ad  
 se vocari, atque ad arcem S. Angeli cap-  
 tivum abduci jussit, eodemque tempo-  
 re Camillus Columna, eoquod hujus  
 conspirationis esset accusatus, custodiæ  
 dabatur unacum pluribus eorum, fidis-  
 que amicis, qui omnes ad publicos car-  
 ceres quæstioni subjiciendi raptaban-  
 tur. Insuper Papa Juliano Cæsarino, &  
 Ascanio Corneo, qui Cæsari addictissi-  
 mi, ac Columnensibus arcta familia jun-  
 cti erant, urbe discedere indictis etiam  
 pœnis gravissimis inhibuit. Marcus  
 quoque Antonius Columna Regni Nea-  
 politani Connestabilis, qui ceteros car-  
 ceri jamjam mancipatos cernens auffu-  
 gerat, coram Papa tanquam supremo  
 ejus Principe intra decem dierum spa-  
 tium sub pœna proscriptionis omnium  
 bonorum comparere jubebatur: Joannæ  
 vero Arragoniæ ejus Matri, necnon il-  
 lius Nurui, ac Filiabus Roma exire in-  
 terdictum fuerat: insuper habitis tamen  
 hisce mandatis Joanna ab irato Pontifi-  
 ce pejora sibi metuens Neapolin ad Ma-  
 ritum

Sæc. XVI.  
A.C. 1555.

ritum suum secessit. Verum Pontifex hujus fuga tantopere commovebatur, ut Marcum Antonium, ejusque Patrem Ascanium anathemate percussos Salliano Ducatu, omnibusque, quæ in ditioe Ecclesiastica possidebant, bonis spoliaret, eorumque possessionem edito diplomate Joanni Carassæ Comiti Montorio suo ex fratre Nepoti traderet.

## §. XXV.

*Gallarum Rex ad fœdus cum Papa ineundum a Lotharingio Cardinale persuasus.*

Cum unicum Pontifici præsidium in Galliarum Rege reliquum esset, hinc nonnulli Hannibalem Ruccellajum, cuius Avunculus Joannes Casa ab epistolis Paulo IV. erat, ad Henricum II. ablegabant, qui eum de tota rei serie edoceret, illumque ad fœdus cum Pontifice percutiendum sollicitaret. Id cum in Senatu ad deliberandum proponeretur, Annas Montmorentius Connestabilis sese vehementer huic armorum societati tanquam Regno perniciosæ opponebat, ac longe utilius censebat cum Cæsare, ac Philippo pacem jam dudum agitatam tandem concludere. Hoc idem consilium Cardinalis Turnonius gravioribus adhuc rationibus fulciebat,

P 4

asseve-

Secul. XVI.  
A.C. 1557.

asseverans, quod Pontifici non modo sufficiens copiarum numerus, sed etiam ad tanti momenti expeditionem necessarius deesset belli apparatus. Nihilominus Cardinalis Lotharingius novitatum percupidus, atque arrogancia, & audacia ipso Cardinale Caraffa haud inferior summopere Pontificis consilium commendabat, palam professus, haud prætermittendam esse adeo opportunam Gallicæ Monarchiæ fines protendendi occasionem. His quoque plura adhuc addidit, quibus facile expugnabat Regis animum, qui jamjam ad prosperos rerum successus admodum inflatus aliunde Guisiis, eorumque fautoribus faciles aures præbere assuetus arat.

## XXVI.

*Idem Cardinalis pro firmando fœdere Romam decretus.*

*Pillat.*  
*Conc. hist. l.*  
*13 c. 15. n. 17.*

Ergo Lotharingius Cardinalis unacum Turnonio Romam decernitur: posterior vero Lugduni subsistebat, eoquod sub idem tempus Pontifex diploma divulgasset, quo decernebatur, ut is, cui jure Ostiensis Episcopatus obvenisset, sacri Collegii Decanus esset, ac proin ob hanc dignitatem ceteros etiam se antiquiores præcederet Cardinales: ea propter Turnonius salva dignitate sua Romam venire se non posse existimabat,

bat, ne Bellajo Cardinali, cui tum ea dignitas obvenerat, primum locum cedere cogeretur. Nihilominus Galliarum Rex pluribus literis sollicitatus Turnonio iter profequi præcepit: igitur Cardinalis Lotharingus Mense Septembri Romam delatus, tertio post Mense foedus cum Papa firmavit, invito Cardinale Turnonio, qui lacrimis ubertim profusis futuram Franciæ calamitatem jam tum deplorabat, palam Deum contestatus, quod tam improbum consilium nunquam suo firmasset consensu. Ceterum quantocius ad Regem decernebatur Ludovicus Sangelafius Lanfacus, qui foederis articulos ad Henricum perferret, eosque ratos haberi curaret. Postea Lotharingus Roma profectus per Ferrariam iter profectus est, indeque Venetias profectus hanc Rempubli-  
cam huic bello implicare nitebatur: ast ibi demum sibi rem cum Viris maturo, ac prudenti judicio præditis esse sensit, qui sese ab omni belli ratione prorsus alienos esse ostendebant. Porro capita foederis præcipua erant ea, quæ sequuntur.

## §. XXVII.

*Articuli foederis inter Papam, & Galliarum Regem.*

P 5

I. Rex

Sæcul. XVI.

A.C. 1555.

Pallav. n. q.

Sæc. XVI.

A. C. 1555.

Thu. l. 16.

n. 21.

Pallav. n. 6.

I. Rex Christianissimus fidem obliget, protecturum se Paulum IV. & Sacrosanctam Sedem contra omnes vim inferentes, cujuscunque conditionis sint, etiam supremæ; & hanc præcipuam in belli per Italiam gerendi, aut suscipiendi ratione curam sibi fore promittat: II. Cardinalem Carassam, Joannem Montorii comitem, & Antonium Carassam, ac eorum hæredes in clientelam suam suscipiat, & loco bonorum iis ob hujus belli causam ademptorum, idoneas possessiones in Italia, aut Francia attribuat, III. Fædus perpetuum sit inter Regem, Pontificem, & Romanam Sedem tam ad inferendum, quam ad sustinendum bellum per totam Italiam, excepta subalpina regione, quæ his pactis comprehensa non intelligatur. IV. Romæ, aut Venetiis quingenta aureorum millia deponantur, a Rege quidem trecenta quinquaginta millia, a Pontifice vero centum quinquaginta millia intra Mensem Februarium proximum in belli sumptus, in cujus usum decem, aut duodecim millia peditum externorum, cum opus erit, in Italiam Rex submittat, cum quingentis cataphractis, ac totidem levis armaturæ equitibus, quibus universis aliquis principali dignitate præditus, a Rege præficiatur: V. vicissim Pontifex sex millia peditum, aut minorem numerum, prout belli necessitas exiget, & præterea mille equites unacum suis Belliducibus sup-  
peditet,

peditet, qui ex deposita pecunia alantur; Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.  
 VI. Papa commeatum, & liberum transitum  
 regis copiis præbeat, VII. tormenta  
 instructa, & cetera ad belli usum necessaria,  
 quam multa, & quotiescunque necesse erit,  
 & poterit, subministret. VIII. Belli ini-  
 tium a regno Neapolitano, aut Etruria,  
 prout commodius videbitur, fiat, & si res  
 exigat, in Galliam etiam Cisalpinam trans-  
 feratur. IX. Cosmæ Medicæo bellum in-  
 feratur ad id, ut Florentinorum respubli-  
 ca in libertatem antiquam vindicetur. X.  
 Nemo ex fœderatis cum communibus u-  
 triusque, aut alterutrius partis hostibus  
 pacem faciat inscia altera parte, & non con-  
 sentiente. XI. Venetus Senatus hac ar-  
 morum societate comprehendatur, & alii  
 quicumque Principes, qui pro libertate Ita-  
 liae fœderi subscribere voluerint. XII. Con-  
 ventum, ut recuperato Neapolitano Regno  
 Pontifex uni ex liberis regis, excepto Del-  
 phino, illud universum attribuat, præter Be-  
 neventum, & ejus territorium, quod Pon-  
 tifex sibi sumet. XIII. Ditionis Pontifi-  
 ciae limites ad Germani oppidum ab una  
 parte, ab altera ad Lirim usque porrigan-  
 tur, & trans Apenninum ad Piscarice us-  
 que flumen, ita, ut omnia loca, quæ citra  
 fines illos in Samnio, & Campania sita  
 sunt, & in iis Cajeta civitas ad Pontifi-  
 ciam ditionem in posterum pertinere intelli-  
 gantur. XIV. Census, qui quotannis ho-

tum

Sæcul. XVI. rum regnorum ratione Pontifici penditur,  
A. C. 1555. usque ad viginti millia aureorum augeatur. XV. Is, qui beneficiarium a Pontifice regnum accipiet, omnia tributa, onera, angarias, & cetera hujusmodi a Cæsarianis, & Hispanis imposita revocet, & res ad antiquam pensitationum rationem reducat. XVI. Proceres regni, nobiles, ac ceteros, eoquod Gallicas partes secuti sint, bonis, privilegiis, & immunitatibus privatos restituat. XVII. Nullum in rebus sacris sibi jus vendicet, nisi in iis, quæ ad ipsum tanquam Patronum pertinere indicabuntur. XVIII. Jurisdictionem Ecclesiasticam edictis, appellationibus, inhibitionibus, aut alia quavis ratione non interpellat; nec quo minus annona libere Romanam importetur, prohibeat. XIX. Obediens sit, & fidem Pontifici servet, atque in usum belli quadringentos cataphractos equites, & duas triremes omni re instructas suppeditet. XX. Exules Pontificie ditionis in beneficiario regno non receptet, ita, ut nec pariter regie ditionis exules Pontifex in suo territorio recipiat, excepta Roma, quæ communis omnium patria est. XXI. Sedi Romane possessiones, quarum annui reditus quindecim aureorum millia important, in Sicilia attribuantur: XXII. Montorii Comiti usque ad viginti quinque aureorum millia annui reditus bona in regno assignentur, quæ libere, ac pleno jure possideat,

possideat, & de quibus ipse, ac hæredes libere testari, contrahere, & quovis modo uti, & frui possint. *XXIII.* Antonio item Carassæ possessiones pari jure quindecim millium aureorum annui redditus concedantur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

Insuper in iisdem pactis hæc continebantur I. Rex Christianissimus primo quoque tempore Filium suum in Neapolis Regnum mittat, ut in eo educetur, & donec adoleverit, & ad legitimam ætatem, qua rebus suis præesse queat, pervenerit, deligantur a Rege, ac Pontifice viri idonei, qui regnum administrant. II. Rex beneficiarius, aut ejus hæredes, ac successores in Cæsarem, Regem Romanorum, in Gallicæ Cisalpinæ Principem, & Etruriæ, aut denique in Franciæ Regem assumi non possit: III. Quod si id contigerit, regnis, ac dominiis hujusmodi quamprimum renuntiare teneatur, & si renuntiare nolit, omni horum beneficiariorum regnorum jure excidat, & ipso facto privetur. IV. Si vero is propter ætatis imbecillitatem non ita cito in regnum mitti possit, interea res publicæ per homines a Rege, ac Pontifice deligendos pueri nomine administrantur, qui Regi, ac Pontifici jusjurandum præstent, se omnia sincere, ac fideliter ex eorum voluntate gesturos. V. Si per ætatem puer rex fidei jusjurandum Pontifici præstare non possit, Rex Pater filii nomine illud præstet, ea forma, qua nuper Julio III. præsti-

Sæcul. XVI. præstitum est, quod postea, cum ad legitimam ætatem pervenerit, Rex beneficiarius A.C. 1555. ratum habeat, & ipse denuo, si opus sit, juret. VI. Liceat Pontifici ad annonam sublevandam in Sicilia ad decies mille mensuras frumenti omni onere, ac tributo liberarum, dum volet, emere, & Romam transportare; VII. caveat Rex, ut nullo modo a Præfæctis impedimentum interponatur, quominus ad primum postulatum id citra fraudem confici possit. Hæc per Lotharingium, & Caraffas Romæ acta decima quinta Decembris fuere subscripta.

## §. XXVIII.

*Cæsar, & Philippus de hoc fœdere certiores facti.*

Hi quamvis ejusmodi fœdus summo silentio tegere toto studio satagerent, nihilominus Cæsar quantocius hosce articulos descriptos recipiebat, quos etiam nulla mora ad Philippum Filium suum transmisit, ut & ipse illos discuteret, ac demum, quid consilii in hac rerum vicissitudine capiendum sit, deliberaret. Equidem ea res intime Philippi animum sauciabat, nil tamen eorum, quæ in ejusmodi eventibus prudentia Magistra didicerat, prætermittere volens, omnibus abunde prospexit, quæ necessaria fore censuit, ut hanc tempestatem

statem dissiparet, aut ea saltem non ex improviso obrueretur.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1555.

§. XXIX.

*Septem Cardinales a Papa creati.*

Interea Romæ Paulus IV. ut suorum partes firmaret, Præfules sibi additos purpura decorare statuit: cum vero horum septem creare decerneret, Sacrum Collegium ægre ferebat, quod juratam promissionem transgredi vellet, vi cujus electione facta se plures quam quatuor haud creaturum in conclavi sponderat (\*). Igitur convocato Purpuratorum Senatu die vigesima Decembris Pontifex graviter queri cæperat, ob sparsum in vulgus rumorem, quod non possit propter juramentum in conclavi præstitum plures, quam quatuor Cardinales creare: „Id autem „inquietabat Papa, non aliud est, quam „auctoritatem Pontificiam, quæ est absoluta, legibus adstringere. Mihi quidem decretum est, nonnullos in Cardinalium Collegium cooptare, neque volo, ut quisquam refragetur, nam indigeo iis, quorum ministerio uti valeo: „quo in genere mihi veteres Cardinales „usui

Ciacon. in  
vit. Pont. to.

3. p. 844. &  
seqq.

Pallav. hist.  
Conc. Trid.

l. 13. c. 16. n. 2

(\*) Pallavicinus contra Ciaconium, aliosque hanc Cardinalium creationem rejecit ad diem decimam octavam Decembris.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

„ufui haud quaquam sunt, omnes pro-  
„priis factionibus addicti, hinc ad eam  
„dignitatem adfciscendi sunt viri do-  
„ctrina, ac vitæ probitate conspicui, quo-  
„rum opera in Ecclesiæ reformatione,  
„& in Concilio potiffimum requiritur,  
„cum de isto jam tempus fit, ut serio a-  
„gatur, & prima quaque occasione fu-  
„per eo deliberandum: sed interim, quo-  
„niam res moram diuturniorem non pa-  
„titur, nominandi veniunt illi, quos ad  
„purpuratorum Patrum dignitatem cen-  
„feo (\*) evehendos, ut ipsi, quibus suf-  
„fragii deliberativi jus est, diligenter  
„perpendant, quod pro Ecclesiæ bono ces-  
„surum putant, in quo facilem me ad au-  
„diendum sunt habituri.

Porro

(\*) Falsum omnino est, quod Pallavicinus, & Ciaconius a Continuatore citati de hac Cardinalium querela, ac Pontificis responso mentionem faciunt: id enim totum denuo ex nugatorio suo Sarpio descripsit, de quo tamen Pallavicinus hæc subjungit: *Nihilominus proditum reperio de antegressis contentionibus inter Pontificem, & Vaticanos Patres super hac Purpuratorum electione, quæ describuntur a Suavi, qui tamen electorum Patrum merita inficiari non est ausus, quin potius, cum in Senatus aedibus conspiciam eam electionem unanimi Collegii consensu habitam, quoad alios Pontificibus, majori*

Porro illi, qui cardinalitia dignitate Sæcul. XVI.  
 fuere ornati, erant sequentes. I. Joannes A.C. 1555.  
 Bernardinus Scotus Clericus Regularis Ordinis Theatinorum Episcopus  
 Placentinus, hæreticæ pravitatis Inqui-  
 sitor, ac Cardinalis Presbyter tit. S. Mat-  
 thæi. II. Diomedes Caraffa Neapolita-  
 nus Arianensis Episcopus, Presbyter  
 Cardinalis tit. S. Sylvestri & S. Martini  
 ad Montes. III. Scipio Rebiba, Siculus  
 Motolanus Episcopus, ac Romanæ Ur-  
 bis Governator, qui quidem haud nobili  
 genere ortus, natalium tamen suorum  
 obscuritatem raro virtutum splendore  
 compensabat, primoque renuntiabatur  
 Cardinalis Presbyter titulo S. Pudен-  
 tianæ, & postea Archiepiscopus Pisanus,  
 ac

*iori & potentia, & aliorum erga se benevolen-  
 tia, quam Paulus pollutibus, non successerat,  
 magna mihi suppetit ratio, ut eas putem fabul-  
 las, a quibusdam nugivendis compactas, qui ar-  
 canarum inventionem turbarum sibi viduum quæ-  
 ritant, stipendia cauponentis exterorum curio-  
 sitati, seu credulæ, seu malignæ. Enimvero  
 Pontifex tam recte processit in ea Cardinalium  
 electione, ut præseruidæ preces Henrici Regis,  
 unici tunc præsidii, & sibi, & suis, qui omnem  
 pariter adhibere conatum, ipsum adducere non  
 valuerint ad S. Populi Episcopum una promo-  
 vendum.*

*Hist. Eccles. Tom. XLII.*

Q

Sæc. XVI.  
A C. 1555.

ac Patriarcha Constantinopolitanus, & Sabinensis Antistes. IV. Joannes Antonius Capisuccius patria Romanus, Auditor Rotæ, peritusque Jurisprudentiæ Doctor, Cardinalis tit. S. Joannis. V. Suario de Reomanis natione Gallus ex Vasconum Provincia ortus, qui mortuo Claudio Guisio Mirapicensem Ecclesiam obtinuit, ac Signaturæ justitiæ, ut vocant, Præfectus renuntiatus, tandem Presbyter Cardinalis tit. S. Joannis ante Portam Latinam creabatur. VI. Joannes Siliceus Hispanus humili admodum genere natus: Pater enim ejus erat Joannes Martinus Guilenus pauper agricola: unde ejus Filius nonnisi meritorum suffragio Philippi II. Regii Hispaniarum Principis Moderator, Toletanum Archiepiscopatum, ac denique etiam in hac Cardinalium creatione purpuram adeptus est unacum titulo SS. Nerei, & Achilei. Denique VII. erat Joannes Gropperus Coloniensis Ecclesiæ Decanus, ac Præpositus: qui tamen doctus vir purpuram Pontifici remisit unacum epistola, qua tantam dignitatem excusabat, vel ob protractam nimium ætatem, vel ideo id faciebat, quod potius haberet dignitatem a maximis Principibus tam avidè quæsitam recusare, quam per paucos dies illam non sine magna sibi æqualium æmulatione possi-

possidere; præcipue cum Henricus II. Galliarum Rex nil intentatum, inausumque relinqueret, ut hanc dignitatem Episcopo Sancti Populi procuraret: quamvis Pontifex istum ad hunc honorem evehere minus consultum censeret.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1555.

## §. XXX.

*Bona Ecclesiastica per Angliæ Reginam restituta.*

Cum Paulus IV. variis hinc inde tum multibus agigaretur, tandem non sine animi sui solatio nuntium accepit, quod Maria Angliæ Regina suum Senatuum eo adegerit, ut bona Ecclesiastica ærario Regio addicta restitui annueret. His ita sancitis exacte in eos, qui Ecclesias, vel Monasteria deprædati fuerant, inquiri jubebat, præcipue vero inquisitio fiebat in illos, qui sub Henrici VIII. regimine visitandis ejusmodi monasteriis suam operam locabant. Horum non pauci criminum suorum impunitatem ingenti pecuniarum summa redimere, atque exorare compellebantur: Itaque quantum intra tam breves temporis angustias licuit, omnes Universitates sanam doctrinam tradere, Tempora ornari, ac reparari, Altaria erigi, & sacrari, necnon nova Collegia amplis redditibus augeri conspiciebantur, imo ut

Burnet hist.  
Ref. tom. 2 p.  
473. & 477.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555

paucis omnia absolvantur, plura Benedi-  
ctinorum, Cisterciensium, Brigittinorum,  
Dominicanorum, Observantium, alio-  
rumque Ordinum Religiosorum Mona-  
stera rursus erigebantur.

§. XXXI.

*Annatarum solutio per Senatus de-  
cretum sancita.*

Die vigesima prima Octobris Regius  
Senatus habebatur, in quo tamen  
haud alia graviora decernebantur nego-  
tia, nisi quod ibidem quoddam conde-  
retur decretum, vi cuius approbata, &  
confirmata fuit abdicatio, qua Regina  
se nunquam primos beneficiorum fru-  
ctus, vel decimas percepturam sponde-  
bat. Equidem ea agendi ratione Com-  
munis, ut vocant, Curiae Patres sibi  
haud propitios reddebat; postquam e-  
nim in inferiori Curia propositum fue-  
rat, utrum Reginae quaedam pecuniarum  
summa concederetur, illi reposuerunt,  
quod Regina ditandis Ecclesiasticis in-  
tenta potius a Clero ejusmodi subsidia  
petere debuisset: dum vero hujus rei  
rumor amplius divulgabatur, Petra, qui  
Regi a sanctioribus consiliis erat, Com-  
munis Curiae Patribus significabat, quod  
Regina ob primam eorum propositio-  
nem de conferendo subsidio grates qui-  
dem rependat, de cetero autem conten-

ta

ta sit, si ex variis suppetiarum generibus pro ea petitis saltem unicum subsidium in Senatu decerneretur. Hisce Reginae postulatis annuere Patres.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1555.

Die decima nona Novembris Regina eosdem adesse iussit, illisque declaravit, quod salva Religione reddituum Ecclesiasticorum decimas sibi vindicare haud posset, ac propterea non modo illas, sed etiam supremi Ecclesie capituli titulum, quem Henricus sibi usurpaverat, eoque nomine ejusmodi onera Ecclesiasticis imposuerat, omnino abdicare velit.

His ita propositis Polus Cardinalis Legatus sermone habito demonstrabat, quod omnes decimæ sive simplices, sive feudis annexæ, cum sint Ecclesie patrimonium, eidem etiam restitui debeant: quocirca die vigesima tertia Novembris in Curia prælegebatur norma diplomatæ, per quod annatæ, & decimæ abrogabantur, atque decimæ Ecclesiis annexæ restituebantur. Insuper ad hujus diplomatæ discussionem nominabantur Guilielmus Cecilus Eques, necnon plures alii Deputati, quibus illud approbantibus vim legis obtinebat, cum centum nonaginta tria Deputatorum suffragia concurrerent, ac non nisi viginti sex adversarentur. Post hæc agebatur de condenda alia lege, vi cujus omnia illo-

Q 3

rum

Sæcul. XVI. rum, qui potius patriam, quam hære-  
A.C. 1555. fin dimittere volebant, bona Regio ad-  
 dicerentur ærario; ast Communis Cu-  
 riæ Patres huic consilio obstrepebant,  
 quocirca die nona Decembris Senatus  
 solvebatur.

## §. XXXII.

*Gardineri Cancellarii obitus.*

*Thu. hist.*  
*l. 13. & 15.*  
*Godwin. de*  
*Script.*  
*Angl. Sleid.*  
*l. 8.*

Alter die Kingstonus Eques captus  
 ad Turrim abducebatur; interea  
 vero, cum adhuc Senatus esset con-  
 gregatus, Stephanus Gardinerus Via-  
 comiensis Episcopus, Regni que Cancel-  
 larius die duodecima Novembris naturæ  
 debitum solvit. Erat is natus Buri  
 quodam Suffolciensis Comitatus oppido,  
 studiis vero operam dabat in Univer-  
 sitate Cantabrigiensi, cuius etiam Can-  
 cellarius nominabatur, postquam non  
 minus linquarum peritia, quam huma-  
 niorum literarum, ac Theologiæ, &  
 jurisprudentiæ excellentia ingens sibi  
 nomen comparaverat. Hic ipse etiam  
 ab Henrico VIII. Romam decerneba-  
 tur, ut illius connubium cum Catha-  
 rina Arragonia dissolvi peteret: inde  
 vero redux divortii sententiam chiro-  
 grapho firmabat, quinimo pro Henrici  
 caussa librum *de vera, & falsa obedi-*  
*tia* scribebat, referunt tamen Histo-  
 rici, quod postmodum sententiam suam  
 publica

publico scripto revocaverit. Verum ut <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 ut res se habuerit, id omnino constat, <sup>A.C. 1555.</sup>  
 quod Gardinerus, dum Anno Christi  
 millesimo quingentesimo quadragesimo  
 octavo Missæ Sacrificium per univer-  
 sum Regnum edicto hanc in rem pro-  
 mulgato penitus abrogabatur, nequa-  
 quam hanc novitatem per eos, qui  
 Eduardum VI. pro suo arbitrio mode-  
 rabantur, introductam suo comproba-  
 verit suffragio, ac propterea domo sua  
 exire fuerit prohibitus, quamvis ex eo,  
 quod sententiam mutasse crederetur, li-  
 bertati redditus fuisset. Ast cum in  
 quadam concione ipso Rege, omnibus-  
 que Aulicis præsentibus habita animi  
 sui firmitatem testatus fuisset, suo Epi-  
 scopatu exutus denuo carceri mancipa-  
 batur, cui etiam inclusus hærebat, us-  
 que dum Maria Regina rerum summæ  
 præesse cœperat; ab ea enim non modo  
 libertati redditus, sed etiam totius  
 Regni Cancellarius, ac primarius Mi-  
 nister renuntiabatur. Postea Paulus IV.  
 ut fertur, eidem purpuram polliceba-  
 tur: redarguitur tamen in eo, quod  
 tunc, cum esset Cantuariensis Archie-  
 piscopus, datis ad Curiam Romanam  
 literis sinistram de Polo opinionem in-  
 stillaverit, adeo, ut hunc Legatum re-  
 vocare ibidem decerneretur. Mortuo  
 tandem Gardinero Cancellarii dignitas

Q 4

usque

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

usque ad primam Januarii diem variis  
committebatur, donec tandem Thomas  
Heatus tunc Eboracensis Archiepiscopus  
Gardinerus sufficeretur.

Ceterum Vir erat humana regendi  
prudencia, rerumque gerendarum dex-  
teritate insignis: cumque in civilium,  
ac Canoniarum legum experientia ver-  
fatissimus, ac non modo latini sermo-  
nis elegantia, sed etiam Græci idio-  
matis scientia clarissimus esset, hinc  
etiam mira facilitate pro tuenda do-  
ctrina Catholica, cui addictissimus erat,  
quædam elucubravit opuscula, quorum  
primum, præter illud mox lauda-  
tum, est confutatio cavillationum, qui-  
bus impii Capharnaitæ, quo nomine Sa-  
cramentorum hostes indicabat, Eucha-  
ristiæ Sacramentum impugnant. Pro-  
diit hic liber sub ementito nomine Marci  
Antonii Constantii Lovaniensis Theo-  
logi, ac primo quidem Anno millesimo  
quingentesimo quinquagesimo secundo  
Parisiensibus, demum vero Anno Christi  
millesimo quingentesimo quinquagesimo  
quarto Lovaniensibus literis excusus  
publicam lucem aspexit. Edidit insu-  
per de eodem argumento aliud opus  
sub nomine Joannis With, quod Anno  
Domini millesimo quingentesimo quin-  
quagesimo octavo Londini impressum  
hunc exhibet titulum: *Ducentorum Au-  
ctorum*

*ætorum testimonia pro veritate Corporis, & Sæcul. XVI.*  
*Sanguinis Christi in Eucharistia adversus A. C. 1555.*  
*Petrum Martyrem.* Scripsit denique explanationem textuum Sanctorum Patrum, quos Bucerus circa Cœlibatum perperam allegabat: porro editus est hic tractatus Lovanii Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, quo item anno, & loco typis vulgata est Gardineri querela contra impudentem Buceri Pseudologiam. Denique præter alia opuscula ad tuendam realem præsentiam in Eucharistia Anglico sermone edita, adhuc alium elucubrabat tractatum contra Hopperi articulos Antwerpiae typis vulgatum.

§, XXXIII.

*Concilium a Polo Cardinale in Anglia celebratum.*

Cum Cardinalis Polus per mortem Gardineri, qui vel ex æmulatione, vel ex aliis causis ejusdem consilia variis in occasionibus everterat, plenam agendi libertatem nactus esset, die secunda Novembris a Regina facultatem majori sigillo firmatam impetrabat, vi cuius Lombati in Viacomienfi Diœcesi Provinciam Synodum celebrare posset. Hoc diploma illi, quod jam antea obtinuerat, omnino conforme erat; ad  
 Q 5 tollen-

Sæcul. XVI tollenda autem omnia, quæ ex Regni  
A. C. 1555. legibus, ac Regiæ auctoritatis juribus  
 oriri possent, dubia, Regina Polo au-  
 ctoritatem concesserat, ut ejusmodi Sy-  
 nodum, & quascunque alias, prout  
 ipsi bene visum fuerit, convocare, ac  
 decreta, quæ necessaria censebit, con-  
 dere valeat. Eodem pariter diplomate  
 Clericis sese congregandi, Ecclesiasti-  
 cas Legati Constitutiones approbandi,  
 illasque ad usum deducendi facultas  
 dabatur, quin profanarum legum seve-  
 ritas timenda esset (\*). Præprimis Po-  
 lus Congregatis exhibebat librum, quem  
 ipsemet circa argumenta controversa  
 conscripserat, isque idem liber progressu  
 temporis divulgabatur sub titulo: *Refor-*  
*matio Anglicæ in decretis Reginaldi Poli*  
*Sedis Apostolicæ Legati.* Complectitur  
 autem duodecim articulos, qui nonnisi  
 Ecclesiasticas concernunt materias, iis-  
 que præfigitur præfatio, in qua Lega-  
 tus hæc exponit: *Intendimus, ut Ec-*  
*clesia hæc Anglicana, quæ ob præteriti*  
*Schismatis per plures annos continuati ca-*  
*lam-*

---

(\*) Ecce! quomodo ad conservandam Ec-  
 clesiæ disciplinam, & abolendum schisma ne-  
 cessarium fuerit judicatum, ut Ecclesiasticæ  
 potestati integra servaretur auctoritas, ob  
 cujus læsionem, ac usurpationem schisma in  
 Anglia fuit introductum, ac enutritum,

linitatem in doctrina, & moribus valde Sæcul. XVI.  
deformata erat, ad veterum Patrum, & A. C. 1555.  
Sacrorum Canonum normam reformaretur.

### Hujus reformationis decreta.

I. Decernimus, & statuimus, ut singulis annis in omnibus hujus Regni Civitatibus, oppidis, & locis, in festo Sancti Andreæ Apostoli, quo die hujus regni cum Deo, atque ejus Ecclesia pax, & reconciliatio facta est, processio Solemnis celebretur; in qua universi cujusque loci tam Ecclesiastici, quam Sæcularis Ordinis Christi fideles convenientes, tam insignis a Deo accepti beneficii memoriam renouent, seque Eleemosynis, & aliis piis operibus gratos ostendant.

II. Omnia Sacrorum tum generalium, tum provincialium a Sede Apostolica receptorum Conciliorum decreta, & Romanorum Pontificum Constitutiones, item Ecclesiasticas leges in hoc Regno Canonice editas, quatenus per præsentis Synodi Decreta immutatae non sint, in pristinum, atque eundem, in quo ante Schisma vigeant, locum, vim, & usum reponimus, ac restituimus, & ut hæc ab omnibus, ad quos pertinent, religiose, sancteque observentur, transgressoresque secundum Canones ipsos, prædictasque Constitutiones puniantur, atque ut ipsum jus Canonicum,  
ubi

Sæcul. XVI. ubi antea, publice doceatur, statuimus, &  
 A.C. 1555. mandamus.

Statuimus etiam juxta Generale ultimi  
 Lateranensis Concilii Decretum, ne quis  
 posthac in hoc regno librum aliquem, seu  
 aliud quodvis Scriptum, sub pœnis in eo  
 Decreto contentis, & aliis, prout delicti  
 ratio exegerit, gravioribus imprimere, seu  
 imprimendum curare audeat, nisi prius  
 per loci Ordinarium, vel per alium, seu  
 alios ab ipso Ordinario ad eam rem de-  
 putandos, diligenter lectum, & examina-  
 tum, & per ejus, siue eorum manus sub-  
 scriptionem gratis apponendam, approba-  
 tum fuerit: Omnes vero libros, siue tra-  
 ditiones, ad fidem, & Ecclesiasticam di-  
 sciplinam spectantes, quas Sancta Romana  
 Ecclesia ad hanc diem probavit, ac rece-  
 pit, seu posthac probabit, ac recipiet cum  
 omni pietatis affectu, & reverentia susci-  
 pimus, & amplectimur: utque ab omni-  
 bus aliis simili obedientia, & veneratione  
 suscipiantur, sub Canonicis censuris, &  
 pœnis statuimus.

Postea ipsum jus Canonicum publice  
 doceri præcipit: nec minus definit tam  
 Sacramentorum numerum, quam eo-  
 rum materias, formas, & effectus: in-  
 super agit de necessariis ad eorum ad-  
 ministrationem, necnon de Ecclesiarum  
 dedicatione, festorum celebratione,  
 fonte Baptismali, & Sacro Chrysmate:  
 inter-

interdicimus etiam irreligiosam consuetudinem vana spectacula edendi, comessationes, tripudia, & alia id genus faciendi; statuimus, ut Episcopi diligenter provideant, ne quid tale posthac eo die, aliisque festis diebus fiat, sed populus audiendis divinis officiis devotus intendat.

III. Hortamur, ut Episcopi attententes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo, ad commissi sibi gregis Salutem, cuius Sanguis de eorum manibus est requirendus, debitam ei præsentiam exhibeant, & ab omni negotiorum sæcularium solitudine vacui super ejus custodiam vigilant, atque ex Apostoli præcepto in omnibus laborent, & ministerium suum impleant.

Hinc omnes Ecclesiasticas tam generales, quam hujus Regni particulares constitutiones contra eos, qui non resident, editas, innovamus: quos etiam usque ad ipsorum beneficiorum privationem inclusive ad residendum compelli volumus, & decernimus.

Statuimus etiam, ut posthac omnes Decani, Præpositi, & alii quascunque tam Cathedralium, etiam Metropolitanarum, quam Collegiatarum Ecclesiarum dignitates, personatus, officia, & administrationes, quocunque nomine nuncupentur, obtinentes, nec non Scholarium Collegio-

Sæcul. XVI. rum Præfetti adsint in suis Ecclesiis, & A. C. 1555. Collegiis: Archidiaconi vero, vel in Archidiaconatibus, vel in Ecclesiis Cathedralibus, prout magis Episcopo loci expediens visum fuerit, commorentur, ut debitam illis operam præstent.

Decernimus denique, ut quicumque plura incompatibilia beneficia Ecclesiastica defacto obtinet, unico, quod maluerit, retento, ad quod retinendum in eventum dimissionis aliorum, seu alterius, ut sequitur, auctoritate Apostolica nobis concessa, sine alieni juris præjudicio eum habilitamus, aliud, seu alia, quæ de jure tenere non potest, intra duorum mensium spatium, a præsentis Decreti publicatione computandorum, in manibus sui Ordinarii publice coram testibus resignet, & reipsa dimittat: alioquin omnibus sit privatus.

IV. Quoniam nihil, aut parum utilitatis allatura est Episcoporum, & aliorum inferioris Ordinis curam animarum habentium in Ecclesiis suis residentia, nisi iidem pastoris officio fungantur, quod potissimum in divini verbi prædicatione consistit.

Idcirco statuimus, ut Archiepiscopi, & Episcopi omnes prædicationis Verbi Dei munus per seipsos obire, juxta Christi, & Apostolorum mandatum, & Sacrorum Canonum normam, teneantur: & si quando legitimum aliquod impedimentum inciderit, quo minus id facere possint, tum secundum statu-

statutum felicis recordationis Innocentii Papæ III. in generali Concilio editum, quod incipit, inter cætera: viros idoneos deligant ad hujusmodi prædicationis officium recte exequendum.

Sæc. XVI.  
A.C. 1555.

Insuper privatim etiam Pastor, quos ex grege sibi commisso a recta fide, vel a bonis moribus aberrare cognoverit, eos ad se vocatos paterne, & cum omni charitatis affectu docendo, monendo, hortando, ac si opus fuerit, deterrendo ad catholicam fidem, & rectam vivendi normam reducere conetur: qui vero & in fide, & moribus recte vivunt, in sancto eorum instituto confirmet.

Quia vero idonei in multis Ecclesiis Concionatores desunt, ne populus propter Rectorum, Vicariorum, aliorumve, qui curam animarum habent, imperitiam necessario sancte doctrinæ cibo fraudetur, quedam homiliæ a piis, & doctis viris ex hujus Synodi mandato, de his præcipue, in quibus hic magis peccatum est, conscriptæ edentur, quas curati, qui ad concionandum idonei non erunt, loco sermonis plebi sibi commissæ plane & distincte legent. Interea Episcoporum erit, cæteros prædicatores deligere, qui omnia Diæcesum suarum loca sic obeant, ut ne qua pars gregis salutari Verbi Dei pabulo omnino fraudetur.

Porro præfatæ Homiliæ quatuor complectentur capita, quorum primum  
aget

Sæc. XVI.  
A C 1555.

aget de articulis controversis, ut errorum propagatio præpediatur. Alterum continebit Symbolum Apostolorum, Decalogum, orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Sacramenta. Tertium comprehendet sermones in Dominicis, & festis Sanctorum dies, vel alias solemnitates, in quibus cujlibet diei epistolæ, & Evangelia explicabuntur. Quartum denique tractabit de virtutibus, vitiis, & ritibus Ecclesiæ.

V. *Archiepiscopos, Episcopos, & reliquos omnes Ecclesiarum Prælatos per Viscera misericordie Jesu Christi monemus, atque obtestamur, ut juxta doctrinam Apostoli, ita sobrie, caste, ac pie vivant, ut cæteris eorum vita, & conversatio ad pietatem, & morum disciplinam exemplo esse possint. Nullo ipsi fastu, nulla pompa utantur, non vestibus sericis, non pretiosa suppellectili: sit eorum mensa frugalis, & parca: non plus, quam tria, aut ad summum quatuor, quod etiam mugis pro hujus temporis ratione, indulgendo, quam probando concedimus, ciborum genera, præter fructus, & bellaria, qualescunque hospites, aut convivas habeant, apponantur: reliqua mensæ condimenta sint Charitas, Sanctorum Librorum Lectio, & pii Sermones: Domesticorum, & equorum numerosa, & superflua multitudo abstineant:*

ac

ac tot ministris contenti sint, quot ad curæ sibi commissæ administrationem, ac domus regimen, & ad quotidianos vitæ usus erunt necessarij

Quicquid vero ex fructibus Ecclesiarum, deductis iis, quæ earum oneribus sustinendis, & ipsis, atque ipsorum familiaribus necessaria sunt, supererit, id omne juxta illa, quæ beatus Gregorius Papa Augustino Episcopo de fructibus Ecclesiæ dispensandis rescripsit, ad pauperes Christi suscipiendos, & alendos, ad pueros, & adolescentes in Scholis, & Studiis educandos, atque in alia pia opera ad Dei gloriam, & proximi utilitatem, & aliorum exemplum distribuant.

Hæc eadem reliquis etiam inferioris Ordinis Clericis, Abbatibus, Prioribus, Canonicis, aliisque sequenda pro reddituum suorum rata, habitaque status ratione proponimus,

VI. Etsi post divini verbi prædicationem nihil magis Episcopo injunctum sit, quam diligens, & accurata in manuum impositione animadversio, præcipiente Apostolo: Nemini cito manum imposueris, tamen quia non ea diligentia, quæ tantæ rei convenit, adhiberi solet; ex quo Ordinis Ecclesiastici contemptus, & magna divini cultus diminutio oritur: eadem hac Synodo approbante statuimus, ut omnes, & singuli locorum Ordinarii nullum laborem in Ordinum Eccle-

Hist. Eccles. Tom. XLII.

R

siasi

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

Sæcul XVI. A.C. 1555. *siasticorum collatione recusent, sed per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, alioqui per alios Catholicos Episcopos, cum omni studio, & charitate hoc munus exercentes, statutis a jure temporibus, qui ex suis diocesanis voluerint, & idonei cogniti fuerint, eos Ordinibus initient: neminem vero ad alterius Diocesis Episcopum, nisi ex causa necessitatis bene per eos explorata, ordinandum dimittant, idque, postquam eum diligenter examinaverint, atque idoneum esse cognoverint. Non putent autem Episcopi se muneri suo satisfecisse, si eorum, qui ordinandi sunt, examinatione ad alios rejecta, manus tantum ipsi imposuerint: ita enim plerumque fit, ut, qui inutiles, & indigni sunt, eos ab aliis temere, quos ea cura non admodum tangit, dignos iudicatos, Sacris Ordinibus præter conscientiam insigniant: quapropter omnes, & singulos Episcopos in Domino hortamur, ac moneamus, eisque mandamus, ut ipsimet hoc munus examinandi omni studio, & diligentia exercent: si vero, quia multi ob diocesum amplitudinem Ordinandi sunt, aliorum auxilio indigeant; tum eorum opera utantur, quos pios, & doctos noverint, & quorum diligentie confidant. Neque vero ob id Archidiaconos, aliosve, ad quos hoc munus pertinet, excludimus: immo vero eos assistere Episcopis, eisque adjuutores esse volumus. In examinatione autem, qui ordinandi*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1555.

dinandi sint, hoc præcipue attendi debet, ne qua ii sint hæresi infecti, ut sint legitimis natalibus orti, & in ætate a Sacris Canonibus requisita constituti, omnique defectu careant, propter quem jure ab Ordinibus repellantur: sintque vitæ, ac morum honestate, & probitate commendabiles, ac literarum scientia pro cujusque Ordinis ratione præditi.

VII. Cum Ecclesiastica beneficia dignis tantum, & idoneis personis conferenda sint, quæ & velint, & possint officium, propter quod beneficium datur, exequi: id quod docet exemplum Apostolorum, qui cum diaconos septem electuri essent, convocata discipulorum multitudine dixerunt: Considerate, fratres, ex vobis viros boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, & Sapientia, quos constituamus super hoc opus: idcirco omnes Episcopos, ad quos id spectat, admonitos etiam, atque etiam volumus, ut omni humano affectu, rationeque posthabita eis, quos maxime idoneos, atque optimos invenire potuerint, Ecclesiastica munera ea imprimis, quæ aliorum curam habent annexam, conferant, atque committant, quærentes non, quæ sua sunt, aut consanguineorum, ceterorumve ad ipsos secundum carnem quovis modo pertinentium, sed quæ Jesu Christi.

Cumque illud Apostoli: Nemini citomanum imposueris: non tam Ecclesiastico-

Sæcul. XVI rum Ordinum collationem, quam ministro-  
 A C. 1555. rum institutionem respiciat: Episcopi nemini  
 Ecclesiastica beneficia, maxime curam ani-  
 marum habentia, nisi prius diligenti inqui-  
 sitione, & examinatione habita commit-  
 tant, in qua eadem, & multo quidem ma-  
 gis spectari debent, quæ in Ordinibus con-  
 ferendis spectanda esse diximus, sana do-  
 ctrina, ætas matura, item morum gravi-  
 tas, & literarum scientia: præterea qui  
 præficiendus est, in iis saltem Ordinibus,  
 qui beneficii sibi committendi muneri conve-  
 niunt, juxta Canonicas Sanctiones, vel Ec-  
 clesiarum Statuta, seu beneficiorum funda-  
 tionem, sit constitutus, & an non ex ambitione,  
 avaritiave, aut alio humano affectu ad di-  
 vina ministeria suscipienda accedat: habeat  
 autem unusquisque bonum testimonium homi-  
 num fide dignorum, cum quibus diutius ver-  
 satus fuerit, & ab Episcopo Officii, &  
 oneris sibi impositi diligenter admoneatur:  
 Cum vero ad beneficium, quod personalem  
 residentiam postulat, assumendus est, per-  
 quirat Episcopus, an is talis sit, qui &  
 velit, & possit in eo residere, nam si aliud  
 beneficium incompatible jam obtineat, sive  
 quid aliud sit, quod ejus residentiam impe-  
 diat, eum ne admittat: quod si nihil tale  
 obstet, tamen antequam eum beneficio præ-  
 ficiat, promissionem ab eo de personaliter re-  
 sidendo, etiam jurejurando recipiat, appo-  
 sita pœna amissionis beneficii, si secus fece-  
 rit,

rit, incurrenda: quam promissionem, & Sæcul. XVI  
 juramentum in Vicariorum provisionibus A.C. 1555  
 tantum recipi debere, juxta provinciales  
 constitutiones declaramus.

Quoniam autem valde periculosa est diu-  
 tina Ecclesiarum vacatio, omnes Episcopos  
 in Domino hortamur, ac monemus, ut  
 beneficiis vacantibus, quorum collatio ad  
 eos pertinet, etiam non expectato tempore  
 a Sacris Canonibus præfinito, quam citissi-  
 me possint, de idoneis Rectoribus, & Pa-  
 storibus provideant.

VIII. Cum in fraudem Statuti Late-  
 ranensis Concilii de beneficiorum non vacan-  
 tium dispositionibus, seu promissionibus ne-  
 mini faciendis, multi in alios jus præsen-  
 tandi, seu de hujusmodi beneficiis dispo-  
 nendi potestatem transferant, ut hic abusus,  
 qui hic frequens est, & ex quo multa mala  
 oriri comperimus, tollatur: cum præsentis  
 Synodi approbatione omnes juris præsen-  
 tandi, seu eligendi donationes, seu advoca-  
 tionum concessionem ad beneficia vacatura,  
 vel ea conferendi, seu quomodolibet de iis  
 disponendi facultates, per quoscunque qua-  
 vis auctoritate, vel dignitate fungentes, in  
 posterum contra Sacrorum Canonum insti-  
 tuta fieri prohibemus: & si quæ fient, eas  
 irritas, & inanes esse decernimus. Et si  
 quis Ecclesiastici Ordinis jura, & faculta-  
 tes ejusmodi, ut præfertur, in alium trans-  
 tulerit, tum jure de ejusmodi beneficiis di-

Sæc. XVI.  
A.C. 1555.

sponendi pro ea, & altera vice sit eo ipso privatus, eorumque dispositio, & ordinatio ad Superiorem, qui in hoc non deliquerit, devolvatur.

Volentes omnino, ut prædictum Lateranensis Concilii Statutum ab omnibus observetur, nec ei sub pænis, tam quoad actus nullitatem, quam quoad contra id delinquentes, superius annotatis, directe, vel indirecte ullo modo, vel prætextu contraveniatur.

IX. Cum detestabile Simoniacæ pravitatis scelus, quod ex avaritia, quæ est idolorum servitus, & omnium malorum radix, oritur, tam divine Scripturæ, quam Sacrorum Canonum auctoritas vehementer execretur, ac damnet, ut pestiferum hoc vitium, quod proximis temporibus maxime hic viguit, tollatur; præsentis hoc decreto omnem pecuniæ dationem, fructuum etiam minime partis donationem, prædiorum ad firmam, seu fictam concessionem, omnem denique pactiõnem, promissionem, & conventionem, in cujuslibet beneficii Ecclesiastici adeptiõne, vel circa eam quovis modo interpositam, rejicimus, atque damnamus.

Item constitutionem quæ incipit: CUM DETESTABILE: & quascunque alias tam Generales, quam hujus regni speciales Ecclesiasticas Leges contra Simoniacos, non solum quoad beneficiorum provisiones, ut præfertur, sed etiam quoad Ordinum, & alio-

aliorum Sacramentorum administrationem <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
pure, & sine aliqua labe faciendam latas, A.C. 1555.  
innovamus, atque ut hæc inviolabiliter ob-  
serventur, præcipimus.

Postea refertur formula juramenti,  
quod is, qui de beneficio est provifus,  
præftare tenetur, ad Sacrosancta Dei  
Evangelia jurans, fe nullam cujuscun-  
que speciei simoniam commiffurum.

X. Ecclesiarum indemnitatibus in poste-  
rum omnino prospicere cupientes, hac ea-  
dem Synodo approbante statuimus, confirma-  
tionem felicis recordationis Pauli Papæ II.  
de rebus Ecclesiæ non alienandis, quæ in-  
cipit: Ambitiose: sub pænis in ea contentis  
observari debere, quibuscunque aliis tam  
Generalibus, quam hujus regni particulari-  
bus Ecclesiasticis provisionibus super eadem  
re in suo nihilominus robore permansuris:  
Itemque Archiepiscopis, Episcopis, &  
omnibus piorum locorum Gubernatoribus,  
seu Administratoribus, & aliis quibuscun-  
que personis Ecclesiasticis, Ecclesiastica be-  
neficia, quocunque nomine nuncupentur, ob-  
tinentibus, mandamus, ut infra sex men-  
sum spatium a præsentium publicatione com-  
putandorum, inventarium omnium bono-  
rum mobilium, & immobilium, jurium,  
actionum, ac nominum, seu debitorum, ad  
Ecclesias, vel pia loca, quæ obtinent, aut  
regunt, quovis modo pertinentium, cum  
eorum qualitatibus, & consinibus, coram

R 4

pluri-

Sæcul. XVI  
A.C. 1555.

pluribus honestis, & fide dignis testibus in forma probante conficiant, quod quidem inventarium tertio quoque anno, & quoties in eadem Ecclesia, seu pio loco alius quis succedit, renovetur. Hujus autem inventarii duo fiant publica instrumenta, quorum unum in propria Ecclesia, seu pio loco; alterum, si sit Ecclesia Metropolitana, apud Capitulum; si Cathedralis, apud Metropolitanum; si vero aliarum inferiorum Ecclesiarum, vel beneficiorum, vel piorum locorum, apud Episcopum perpetuo custodiatur: Metropolitanam vero, alii-ve locorum Ordinarii in provinciarum, & Diocesum suarum visitationibus, sive qui alii eorum vice visitabunt, dicta inventaria apud se habeant, & diligenter inquirent, an eorum, quæ in inventario descripta sint, aliquid desit: quod si quid deesse compere-rint, id recuperare, seu ad jus pristinum Ecclesiarum revocare constituent, culpam, seu negligentiam cujuslibet hac in re juxta Canonicas Sanctiones severe puniendo, exceptis tamen semper iis, quæ circa bona Ecclesiastica, ante ab Ecclesiis ablata, jam auctoritate Apostolica statuta sunt, quibus per hoc nullo modo derogari volumus. Præterea Constitutiones bonæ memoriæ Othonis, & Othoboni in hoc regno Sedis Apostolicæ legatorum editas, ut dignitates, vel officia Decanatus, Archidiaconatus, sive proven-  
tus ex jurisdictionis spiritualis exercitio pro-  
venien-

venientes, nullo modo locentur, seu dentur ad firmam, innovamus, utque ab omnibus sub pœnis in eis contentis observentur, præcipimus.

Sæcul. XVI.  
A.C 1555.

XI. Decernimus, ut singulæ metropolitane, & Cathedrales hujus Regni Ecclesie, pro cujusque censu, & facultatibus, proque Diœcesis amplitudine certum numerum puerorum alere teneantur: in hunc vero, qui cooptandi erunt, annos sint ad minimum undecim, vel duodecim nati, qui & legere sciant, & scribere, & quorum indoles, ac voluntas certiore spem afferat, eos Sacerdotes futuros, & Ecclesiasticis muneribus perpetuo inseruituros: Pauperum autem filios præcipue eligi volumus, neque tamen ditiorum excludimus, modo studium præferant Deo, & Ecclesie inserviendi: hi primum Grammaticam discant, post in ipsam metropolitanam, seu cathedralem Ecclesiam adsciti, sub Cancellario Ecclesie, aut alio docto, & gravi viro, qui ad hoc munus delectus sit, in Ecclesiastica doctrina, & disciplina erudiantur: horum classes instituentur duæ: altera provedtorum ætate, & literis, quos Accolytos esse volumus: quibus præter victum, & togam, quam liberalem vocant, mercedis etiam aliquid in singulos annos attribuetur: altera juniorum, quibus toga, & mensa tantum dabitur: Universi autem tam prioris classis, quam posterioris, tonsura, & habitu clericali,

R 5

eadem-

Sæcul. XVI. eademque vivendi ratione utentur, & divinis  
A.C. 1555. in Ecclesia officiis opportune inservient.

Statuimus etiam, ut pro alendis hisce juvenibus Archiepiscopi, & Episcopi omnes fructuum annuorum, quos ex proventibus Episcopatum suorum percipiunt, deductis decimis, subsidiis, & feudis, quadragesimam partem tum ad ipsos pueros alendos, tum etiam ad mercedem solvendam Magistris, qui eos in Grammatica, & Ecclesiastica doctrina, & disciplina erudiant, in singulos annos pendant.

Præterea decernimus, ut Episcopus simul cum Decano, & capitulo Cathedralis Ecclesie hujus puerorum Scholæ curam gerat.

XII. Cum Ecclesiarum Visitatio ad vitia, & abusus tollendos, ac rursus ad bonos mores inducendos, ac legum Ecclesiasticarum vim, & usum retinendum non solum utilis, verum etiam necessaria sit, cum præsentis Synodi approbatione statuimus, ut Episcopi, & alii locorum Ordinarii Diaceses, & loca sibi commissa, juxta antiquam hujus regni consuetudinem, singulis trienniis per seipsos, si legitime impediti non fuerint: sin minus, per idoneos substitutos, cum omni pietatis, & charitatis zelo visitare non omittant.

In primis autem monemus omnes visitatores, ut in visitationibus ipsis secum eos tantum ducant, quorum opera necessario indi-

indigeant, & illos quidem tales, qui ceteris honestatis, & probitatis exemplo esse possint, utque ad victum mediocri sumptu sint contenti, atque visitationem, quam celerime fieri possit, expediant, nec frustra alienis expensis tempus conterant. Hoc autem Ordine visitatio instituenda erit, ut primum Civitas, deinde Diæcesis, nisi forte aliter aliqua exigat necessitas, visitetur: in Civitate vero a Cathedrali Ecclesia inchoandum: deinde ad singulas Collegiatas, postremo ad Parochiales transeundum est: ubi non solum Parochi, sed ceteri etiam, si qui in Parochiis commorantur, Sacerdotes, & Clerici evocentur. Visitandæ etiam sunt Scholæ, & bibliothecæ, ac demum hospitalia diligenter perlustranda. In Visitatione Episcopi verbum Dei proponent: Sacramentum Chrismatis, seu confirmationem conferent. Item vel ipsi per se, vel alios, per eos ad eam rem delectos, in casibus sibi reservatis, pœnitentia salutari imposita, beneficium absolutionis iis, qui eo indiguerint, & illud humiliter petierint, impendent; ad idque omnes paterno charitatis affectu invitabunt, atque hortabuntur.

Diligenter etiam de Clericorum vita, & moribus inquirant, eosque, quos dissolutæ vitæ esse compererint, puniant. Omnes hi Canones nonnisi decima Februarii die Anno Christi millesimo quingentesimo

Sæcul XVI.  
A.C. 1555.

mo

Sæcul. XVI. mo quinquagesimo sexto penitus fuerunt confecti, approbati, ac promulgati.  
 A.C. 1555.

## §, XXXIV.

*Cardinalis Poli mens, ac finis in hujus  
 Ecclesiæ emendatione.*

Ex omnibus hisce decretis mox relatis fat luculenter elucet Poli Cardinalis intentio, quam sibi in emendanda Ecclesia Anglicana præfixerat, nam præprimis, cum Clerum admonet, ut semetipsum emendet, testatur, quod Clericis, si vitam piam, ac bene ordinatam duxerint, nemo resistendo par sit (\*). Hanc in rem ulterius assererat, quod sicut potissimi, aut profundis ignorantie tenebris immerfi, aut profanis negotiis nimium impliciti ex generalibus præjudiciis potius uni, quam alteri opinioni adhærent, quin Theologiæ arcana sedulo studio affecuti sint, hinc non raro vel scandalosa Ecclesiasticorum vita, vel eorum sanctimonia Laicos inducit, ut uni parti se addicant, atque alteram detestentur. Hoc pacto plerumque mendacia, atque errores sub apparentis probitatis velamine ipsimet veri-

---

(\*) Omnia hæc decreta iterato, attente, ac de Verbo ad Verbum perlegi, sed tamen de hoc ne verbum quidem reperire potui.

veritati prævalere possunt (\*). Igitur unice eo collimabat Cardinalis mens, ut Viros Ecclesiasticos ad meliorem frugem reduceret, eisque pro vitæ suæ ratione præcepta dictaret, atque ab eorum moribus ea, quæ populo offensionem sunt, procul arceret: ideo inter alia illos adstringebat, ut suis Ecclesiis præsentibus invigilent, ac plurium beneficiorum possessionem aboleant. Ipsos quoque Episcopos eo adigere statuit, ut nonnisi post maturum examen Clericos sacris Ordinibus initiarent, ac beneficia sola meritorum ratione habita, non autem attentis humanis obtentibus conferrent. Pariter ex proposito erigendi Seminaria luculenter demonstratur, quod Polus sibi probe perspectum habuerit, id unicum, certumque esse Ecclesiam hæresis veneno infectam perpurgandi medium. Enimvero nihil magis certum audit, quam quod juvenes a teneris annis jam præceptis, quæ sæculi prudentiæ adversantur, imbuti, vivendique normæ, quæ ab hujus sæculi malitia deviat, assueti ad exercenda Ministerii Evangelici munia longe aptiores evadant, ac illi, qui vanitatibus, & mundi delitiis immer-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555

(\*) Rursus de his nulla omnino mentio nequidem æquivalens in decretis hisce occurrit.

Sæcul. XVI. immerſi vitam traduxerunt, nam hi  
A.C 1555. plerumque veterum ſuarum conſuetu-  
 dinum mancipia ægre admodum mo-  
 rum gravitati, ac ſanctiori diſciplinæ,  
 quam eorum conditio expoſcit, aſſue-  
 ſcere poſſunt.

## §. XXXV.

*Judicii acta in Cranmerum Cantua-  
 riensem Archiepiscopum  
 instructa.*

*Burnet. hiſt.  
 de la Ref. t. 2.  
 l. 2. p. 494.  
 Boſſuet hiſt.  
 Var. t. 1. l. 7.  
 o. 100. &  
 101. p. 430.*

Mense Septembri capitalis ſententia  
 in celebrem Cranmerum Cantua-  
 riensem Archiepiſcopum pronuntiari cæ-  
 perat; jam enim Mense Aprili Anno  
 poſt Chriſtum natum millesimo quingen-  
 teſimo quinquageſimo quarto tanquam  
 hæreticus fuerat declaratus: attamen,  
 cum nihil magis familiare haberet, quam  
 ſuam Religionem ad Regis ſui arbi-  
 trium accommodare, ita omnibus facile  
 perſuaſum erat, quod nunc quoque Re-  
 ginæ fidem profiteri paratus haud diffi-  
 culter Miſſæ ſacrificium celebraturus ef-  
 ſet, prout ſub Henrico VIII. per tre-  
 decim annos, licet illud in animo ſuo  
 abominaretur, ſolo complacendi ſtudio  
 facere non abhorrebat. Verum nimium  
 arctæ neceſſitudinis vinculo hæreticis  
 erat colligatus, ſequæ nimium aperte  
 tanquam nullius Religionis Virum de-  
 mon-

monstrasset, si ad cujuslibet venti flatum fidem suam mutasset: Itaque de hæresis crimine condemnatus, die duodecima Septembris hoc anno coram Judicibus comparere jubetur. Porro Judices ejus erant Broockius Glocestriensis Episcopus Papæ delegatus, necnon Martinus, & Storius, quos Philippus, & Maria nominabant. Ceterum accusationum capita præcipue versabantur circa ejus hæresin, ac sacrilegum connubium; redarguebatur enim, quod binis ejusmodi nuptiis sese polluerit, & clam regnante Henrico VIII.: palam autem sub Eduardi VI. Regimine concubinam aluerit, diversaque opuscula hæresibus plena ediderit, ac denique realem Christi Domini præsentiam in Eucharistia impugnaverit. Haud equidem crimina, quæ ipsi circa suam doctrinam, ac nuptias objectabantur, diffitebatur, pro sua tamen excusatione asseribat, *quod neminem unquam coegerit, ut ejus opinionibus subscriberet*: verum id omnino falsum est, cum propterea Gardinerus, & Bonnerus carceri fuerint dati, & Lambertus, Anna Askeci, & Joannes Cantius, seu de Kent aliique extremo supplicio fuerint affecti.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1555.

§. XXXVI.

Sæcul. XVI.

A. C. 1555.

§. XXXVI.

*Cardinalis Polus sacro Presbyteratus Ordine initiatus.*

*Ciacon p. 63.* Cum autem Regina Polum Cardinalem elegisset, ut Cranmero in Cantuariensis Archiepiscopatus dignitate succederet, hinc idem, cum antea non nisi Diaconus esset, exeunte hoc anno sacrum Presbyteratus ordinem suscepit, hujus tamen Archiepiscopatus possessionem non nisi quarto post Mense ingressus erat, eoquod sibi religioni duceret, vivente adhuc Cranmero in Archiepiscopum inaugurari.

§. XXXVII.

*Galliarum Regis edictum contra cunctos hæresis damnatos.*

*Steid. comm.*  
l. 26.

*Tau. lib. 16.*  
n. 7.

*Belc. comm.*  
l. 26. n. 66.

Interea Henricus II. Galliarum Rex Neapolitanæ expeditioni intentus, etiam sibi Neo-electum Pontificem quodam obsequio devincire satagebat, quapropter edictum priori, quod ante quadriennium ediderat, omnino oppositum promulgari jussit, vi cujus sibi plenam, atque integram de hæresis crimine cognoscendi potestatem reservabat, saltem si accusatio omnino liquida esset, aut de Personæ Ecclesiasticæ judicio non ageretur. Ex adverso autem per præsens edictum hoc anno divulgatum Rex omni-

omnibus suis Gubernatoribus, ac justitiae Ministris per universum regnum mandabat, ut omnes, quoscunque Ecclesiastici Judices, ac fidei Inquisitores de hæresi convictos damnassent, pro delicti gravitate statim, & absque mora, nec ullius appellationis habita ratione punirent (\*). Hoc edictum ipse Lotharingius

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

(\*) Nempe jam tum etiam in Gallis satis comprobatum erat, quod a Judicibus, vel a Pontifice ad Concilium appellandi libertas unice introducta fuerit, ut omnium criminum impunitas, ac hæresis profitendæ, necnon propagandæ libertas magis invalescere valeat: hanc ob rem etiam in Anglia Cranmero, qui hac appellatione judicum severitatem, debitasque pœnas eludere studebat, hæc facultas concessa haud fuit, ut testatur Bossuetius l. c. his verbis fol. mihi 267. edit. latin. Vienn. anno 1753. *Cranmerus ad protrahendam sententiam obtulit se ad defendendam doctrinam suam coram Pontifice, eoquod illum agnosceret, cumque ejus nomine damnaretur, provocavit ad Concilium, denique cum nec provocatio admitteretur, spe unica abjuravit errores Lutheri, & Zwinglii; confessus est realem præsentiam in scripto verbis veri alius doloris indicium referre, cumque videret, se nihilominus damnatum, abjuracionem revocavit; sed mox denuo debilem adhuc spem habens veniæ, abjuravit, &*

*Hist. Eccles. Tom. XLII. S abju-*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555. ringius Cardinalis Parisiensi Regis Senatu pro veteri more comprobato denique promulgaretur, atque in usum deduceretur. Comparebat ergo ipse in Senatu, suamque petitionem gravibus admodum argumentis fulciebat: verum Senatores hac propositione commoti rem novam esse arbitrabantur, quod in ejusmodi eventibus appellandi remedium denegaretur, quapropter deliberandi spatium petentes missis ad Regem Oratoribus, quid ipsi censerent, exponebant.

## §. XXXVIII.

*Senatus sententia circa hoc Regis edictum.*

*Sleidan. l. 26.* Postquam Lotharingus, & Turnonius Cardinales Romam discesserant, tunc primum Senatores die decima sexta Octobris

---

*abjuracionem de novo signavit, volens tamen consulere conscientie, secretam, inquit Burnet, confessionem fidei suae sincere scripsit, secumque ad supplicium tulit, adeoque quamdiu spes vitae supererat, publice protestans videri noluit, denique cum nihilominus ardendum sibi esse intelligeret, videns nil ultra se perdere, aut lucrari posse; ut saltem speciem Martyrii mentiretur, abjuracionem suam revocavit, & hæresin professus arsit.*

Etobris suas rationes promebant, his ver- Sæcul. XVI.  
 bis: *Per illud tuum edictum, quod ante* A.C. 1555.  
*quartum annum prodiit, potentissime Rex,*  
*tibi, tuisque iudicibus integram servasti co-*  
*gnitionem, & animadversionem hæresis Lu-*  
*theranæ: nec fuit in eo quicquam exce-*  
*ptum, nisi cum aut declarationem aliquam*  
*hæresis requireret, aut pronuntiandum es-*  
*set de iis, qui sunt initiati Sacris: hoc ve-*  
*ro tuum edictum, de quo nunc agitur, pla-*  
*ne contrarium statuit; nam tuæ ditionis*  
*populum Ecclesiastico iudicio subijcit, &*  
*inquisitoribus, eaque ratione dignitatem, qua*  
*præstas omnibus, imminuit, & populo ju-*  
*stam præbet doloris causam, cum abs te*  
*plane destituti, potestati subijciuntur alie-*  
*næ. Sed multo plus erit incommodi, cum*  
*ipsorum omnes fortunæ, vita, salus, &*  
*honos in illorum erit arbitrio, provocatio-*  
*nis adempto subsidio, nam sane perfugium*  
*est, & assylum innocentie, provocatio: tu*  
*vero tutor es, atque defensor tum appel-*  
*lationis, tum innocentium, imo præter te*  
*nemo quicquam juris habet in populum.*  
*Quodsi jam inquisitoribus, & officiariis E-*  
*piscoporum jus detur, atque potestas judi-*  
*candi, provocatione sublata, certe fene-*  
*stram hoc est aperire, & patefacere viam,*  
*ut etiam innocentes damnentur, & corpo-*  
*ris, atque honorum jacturam faciant: nam*  
*illi tanta potestate præditi, regia nimirum,*  
*obliviscentur officii, neque modum serva-*  
bunt,

Sæcul. XVI. A.C. 1555. bunt, quando sibi nullum non ordinem esse  
 subjectum, inque sua manu versari vide-  
 bunt, non plebejos modo, sed Principes e-  
 tiam viros: hanc autem rationem velut  
 mediam, adhibere potes: nimirum ut tui  
 iudices de causa cognoscant, & pronun-  
 tiant, & si quod sit obscurius dogma, de-  
 finiatur ab Ecclesiasticis: Initiati quoque  
 Sacris judicentur a suis. Ad appellatio-  
 nes quod attinet, impetretur a Pontifice  
 rescriptum, quo tuis iudicibus hoc per-  
 mittatur, cumque in eum casum res deve-  
 nerit, ut de iis, qui provocarunt, judican-  
 dum sit, adhibeantur ex ordine sacro dele-  
 cti quidam tui consiliarii, vel si desint, alii  
 viri spectati, & idonei. In inquisitione  
 hoc servetur, ut Pontificius inquisitor sibi  
 subdeleget, atque submittat in provinciis  
 homines integræ famæ, & viros bonos,  
 utque sumptum omnem faciat Episcopus,  
 non autem rei, sic tamen, ut causa desi-  
 gnata sumptus repetatur, a quibus oportet.  
 Ista videlicet eo pertinent, ut intra certos  
 fines, atque limites adstringantur id genus  
 lites. Ceterum, quoniam apparet hæreti-  
 corum suppliciis, etsi necessaria sint, ad-  
 huc quidem hoc fuisse perfectum magis, ut  
 facinus esset detestabile, quam ut illi emen-  
 darentur: deinde, quia multo præstat oc-  
 currere venienti morbo, quam spatium illi  
 dare, dum augeat, & post adhibere me-  
 dicinam, licebit mitissime Rex, ut in eo  
 præscæ,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

priscæ, & veteris Ecclesiæ morem, atque vestigia sequaris, nam ea neque ferro, nec igne stabilita fuit, sed his ipsis restitit semper Antistitum diligentia, dum & frequenter illi verbum Dei docerent, & honestis vitæ præluerent exemplis: cum igitur hac ratione sit olim confirmata, nunc etiam eadem retineri posset, & conservari, si tu modo velis illud exequi, quod in tua potius manu positum est, hoc nimirum, ut Antistites, pastores ovium, suas ipsi coram Ecclesiis gubernent: idem faciant inferiores quoque ministri, pie vivant, & verbum Dei doceant, aut per homines idoneos doceri faciant, deinde, ut in posterum ii præficiantur, qui possint docere populum ipsi, neque vicarios in locum substituant. hæc est radix, quam excolere oportet: huic est inædificandum fundamento: sic enim sperare liceat, futurum: ut hæreses paulatim evanescant: sin autem hæc via negligitur, metus est, ne magis, atque magis aucescant, quæcumque demum edicta fiant, vel adhibeantur remedia.

## §. XXXIX.

Gallorum victoriæ in Pedemontio:  
Calvii obsidionem solvere  
compulsi.

Hoc anno Gallorum armis in Italia nonnulla subigebantur oppida; die  
S 3 enim

Thou. l. 15.

Sæc. XVI.  
A.C. 1555

enim nona evoluti Mensis Decembris Vercellas in Pedemontio occuparunt, ac ductore Brissaco Cafalis obsidionem prospero successu urgentes die tertia Martii hanc urbem primo, paulo post vero ipsam quoque arcem deditione ceperunt. Die autem vigesima prima Septembris idem Brissacus Vulpianum Pedemontii oppidum, & denique die septima Octobris Mont-Calvium urbem inopino impetu obruit, Salvaissonus vero Cafalis Gubernator illius arcem pactis conditionibus in suam potestatem redegit. Verum minus prospera fortuna in Corficæ Insula utebantur, Calvium obsidentes: quamvis enim a Turcarum classe adjuti essent, ac Genuenses ex hac Insula penitus ejicere sperarent, nihilominus die decima Augusti impetu in urbem factò, terque redintegrato certamine trina quoque vice repulsi sunt, multum indignante Ursino, qui obsidionem solvere Gallis præcipiens ad Bastiam castra ponere statuit: verum rursus re infecta discedere cogebatur, cum enim Turcæ vires conferre recusarent, ipse vero solus rem conficere haud posset, hinc altera hæc obsidio exitu suo frustrabatur: igitur sub finem Mensis Augusti Turcica classis, postquam Sardinæ oram pervagata est, ad sua revertebatur.

tebatur, Gallica vero Massiliam, unde Sæcul. XVI.  
venerat, paulo post se contulit. A.C. 1555.

## §. XL.

*Franciscanorum consilia de Metensi  
urbe Cæsareis tradenda.*

Sub idem tempus detecta est conjura- *Sleid. l. c.*  
tio quorundam Franciscanorum, qui *Thu. l. 15. n. 6*  
Metensem urbem Cæsareis tradere mo- *Belc. comm.*  
liebantur; cum enim eo tempore ge- *l. 26. n. 63.*  
neralia Ordinis sui comitia celebrarent, hoc obtentu usi decernebant, ut mili-  
tes Monachorum habitu vestiti introdu-  
cerentur, perinde acsi viri essent Reli-  
giosi ad Capitulum confluentes: cum  
vero ad alendam tantam multitudinem  
ingens quoque vini, ac frumenti copia  
esset necessaria, hinc statuebatur, ut plu-  
rima dolia, quibus tamen arma inclu-  
derentur, urbi inferantur. His ita con-  
clusis Theodonis-villæ præsidarii posi-  
tis loco idoneo prope Metim insidiis ur-  
bem aggredi jubebantur, cumque Galli  
abs dubio eos repulsuri urbe excedere  
pararent, tunc exhausta per Gallorum  
eruptionem civitate, milites a Francif-  
canis introducti ad arma conclamarent,  
portisque occupatis eos, qui in insidiis  
latebant, in urbem exciperent. Porro  
cum quidam Gallicæ Legionis Tribunus  
observaret, quod quidam Franciscanus

Sæcul. XVI. sæpius Theodonis-villam ad hostes e-  
A.C. 1555. grederetur, suspicione inde oborta, eun-  
 dem comprehendi iussit, qui tormentis  
 subjectus, quod rei suberat, mox ape-  
 ruit: quapropter de Franciscanis pro-  
 merita poena sumebatur, eorum vero  
 Conventus Patribus, qui recollecti no-  
 minantur, hancque domum hodie ad-  
 huc possident, tradebatur.

## §. XLI.

*Cæsareorum molimina pro recuperando  
 Mariaburgo.*

Sub Veris initium in Belgio rumor vo-  
 labat, quod Cæsarei prope Castel-  
 lum in agro Cameracensi undique ma-  
 gno numero convenirent, ut in Maria-  
 burgum, quod Galli priori anno cepe-  
 rant, repentino impetu irruerent: hinc  
 Rex, qui tum celebrandis Nicolai Val-  
 demontii cum Joanna Sabauda Nemor-  
 fii sorore nuptiis intentus ad Fontem  
 bellaqueum hærebat, Santandreamum  
 Marefcallum, cum Vindocinensis Dux  
 Gubernator absens esset, in Picardiam  
 decrevit, unacum Carnutenfi Vicedo-  
 mino, pluribusque aliis Nobilibus, ut San-  
 cti Pauli Comitatum longe, lateque fer-  
 ro, flamaque delerent. Ergo Marefcal-  
 lus arrepto per Arthesiam itinere, a-  
 grisque devastatis, se se recipere simu-  
 labat, cum vero nuntiatum esset, quod  
 Hispa-

Hispani, aliæque copiae ibidem collectæ Sæcul, XVI.  
A.C. 1555.  
Castelli stationes agerent, concubia nocte eo contendit, admotisque scalis urbem aggreditur, capitque. Equidem cum Hispanis humaniter actum, cum indigenis vero minus clementer; militi enim oppidum in prædam concedebatur, ac vicini agri circum circa foede devastati fuere, ne hostis, quem eo venturum fama sparserat, ullum inde comeatum accipere posset; postea vero annona, ac necessario armorum apparatu Mariaburgum muniebatur, ne illud Cæsarei inopino impetu obruere valerent,

## §. XLII.

*Mariniani Marchionis obitus.*

Interea Marinianus Marchio Gallis Herculis Portum eripuit, ubi Cæsarei crudelem in modum desæviebant (\*). Sleid. l. 36.  
Thuan. l. 16.  
Ast

(\*) Ingentis hujus crudelitatis Continuator testes adhibet Thuanum, & Sleidanum, quorum primus etsi natione Gallus, veritatis tamen magis amicus hæc duntaxat refert: *Capto Herculis portu, Gallisque apud Struncum verberationem nequidem sustinentibus, statimque ordinibus confusis locum deserentibus, ac rursus pariter Vulturini diffugientibus, interclusoque per mare in Etruriam appulsu res Gallica in*

Sæc. XVI.  
A.C. 1555.

Astidem Marchio, postquam e Pedemontio Mediolanum redierat, in eadem urbe die secunda Novembris morbo ex diuturnis vigiliis, atque assiduis laboribus contracto extremum clausit diem, parentabaturque eidem die vigesima prima ejusdem Mensis magnificis prorsus exequiis, quibus præter primam urbis Nobilitatem Ferdinandus Alvaresius, & Albæ Dux intererant; posterior enim paulo ante a Philippo Mediolanum mittebatur, subrogatus Ferdinando Gonzagæ, qui ab hujus Ducatus administratione amotus fuerat. Mortuo Mariniano Albæ Dux ex Provincia recesserat: Rex vero Philippus Castaldi consilium secutus Mediolanensis urbis Governatorem nominabat Christophorum Madrutium Cardinalem Tridentinum, Virum morum comitate acceptissimum, ac ingenua libertate, & integritate conspicuum, qui septem Imperii Electorum, quinimo & Protestantium benevolentiam sibi demereri gnarus, ad componendas Germaniæ res plurimam conferebat operam, necnon in variis maxi-  
mi

---

*ea Provincia labi capit.* Sleidanus quidem interfectos refert, præsidarios, si in hoc igitur Cæsarei ingentes crudelitates exercuerunt, fors ad eas adacti fuere tot urbium suarum incendiis, agrorumque vastationibus.

mi momenti negotiis Carolo Cæsari <sup>Sæc. XVI.</sup>  
 præclara exhibebat obsequia. Huic e- <sup>A.C. 1555.</sup>  
 tiam adjungebatur Piscarius Marchio,  
 qui secundus ab imperio copiis præesset,  
 ac Mariniano Marchioni succederet.

## §. XLIII.

*Tumultus Genevæ suscitatus.*

Hoc item anno Geneva novo agitaba-  
 tur tumultu, quem quidam Sena-  
 tores suscitarunt; hi enim Calvinum  
 summo odio habentes, ac ingentem,  
 quam sibi is in urbe comparaverat, exi-  
 stimationem invidentes eundem sua au-  
 ctoritate exuere, sibi que vindicare ni-  
 tebantur. Inter cetera præcipue que-  
 rebantur, quod Viri ob novam sectam,  
 ut se suppliciorum periculo eriperent, e  
 Galliis Genevam fugientes nimia faci-  
 litate reciperentur, atque omnibus ce-  
 terorum civium privilegiis frui permit-  
 terentur: inde vero fieri ajebant, ut u-  
 nius partis numero nimium aucto alte-  
 rius robur, atque auctoritas labefacta-  
 retur: Igitur Genevenses ira commoti  
 malo tantopere invalescenti, ac gravio-  
 res calamitates præfagienti obicem po-  
 nere decernunt, atque ut hosce feliciter  
 de urbe ejicerent, hoc utuntur astu.  
 Noctu in diversis per urbem locis concur-  
 sio fiebat, ac veluti signo dato, Gallos  
 in armis esse positos, urbemque prodi-  
 tam

Thuan. l. 16.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555. tam passim clamitatum: cum vero ad-  
venæ se domi continerent, ac ne ipsi  
quoque cives, quos conjurati hac ratio-  
ne ad arma convolatueros speraverant,  
ædibus suis exirent, mox conjuratorum  
fraus detecta suo successu frustrata est.  
Horum nonnulli, qui classicum canebant,  
comprehendebantur, alii vero fuga  
saluti consulebant. Lucarnenses  
quoque, quorum ditio olim Mediolanen-  
sis Ducatus pars erat, ab anno autem  
millesimo quingentesimo duodecimo  
Helvetiis cedebatur, eodem tempore si-  
bi puriorem, ut ajebant, Religionis do-  
ctrinam, ac minime corruptum Verbi  
dominici usum permitti postulabant;  
cum vero pleraque pars eorum, in quo-  
rum ditio hi populi erant, Catholi-  
cam Religionem tuerentur, hinc opi-  
nantium sententiæ in diversa abibant,  
timendumque erat, ne ad aperti belli  
necessitatem res deduceretur, nisi de-  
cerneretur, ut Lucarnenses in Majorum  
suorum fide constantes permanerent:  
hi vero, qui id facere, huicque decreto  
se se subicere renuerent, alio emigrare  
possent. Itaque horum non pauci ad  
Tigurinos sese contulerunt, a quibus  
liberaliter excepti fuere.

Insuper hoc ipso anno recrudescen-  
bant eadem accusationes, quibus jam  
olim Calvinus a Bolseco exagitabatur,  
eoquod

eo quod Dominum Deum peccati Authorem esse traderet: unde rursus suam <sup>Sæcul. XV.</sup> C. 1555. causam coram Bernensi Senatu agere cogebatur, qui tamen hac in re sententiam ferre tergiversabatur.

## §. XLIV.

*Calvinus Villagagnonii expeditioni consentiens.*

Accidit etiam ferme sub idem tempus, <sup>Thuan. l. 16.</sup> quod Calvinus hæresiarcha semper <sup>n. 9.</sup> ampliandæ suæ sectæ percupidus temeritati applauderet Nicolai Durandi Villagagnonii Melitensis Equitis, qui Calvinii errores in Americam extendere moliebatur. Erat is in Briana Provincia ex pervetusto genere natus, ac corporis habitudine inter ævi sui juvenes facile princeps, nec vulgaribus literis eruditus, atque animi fortitudine celeberrimis suæ ætatis Belliducibus haud impar. Præclara etiam bellicæ virtutis suæ specimina ediderat in Algeriana obsidione, ubi Cæsaris stipendia merens vulneratus fuit. Nec minori etiam laude secundum ab Architalasso locum tenens in maritimis expeditionibus ad oram maritimam sub Gallorum vexillis dimicabat: hic ergo gloriæ cupiditate inflatus, aut forte corradendis divitiis intentus Colignii Architalassi opera a Rege impetraverat, ut sibi classem adornare,

Sæcul. XVI  
A.C. 1555.

nare, & sub Henrici II. auspiciis in novum orbem Gallica signa inferre liceret: Regi enim insinuabat, quod per ejusmodi expeditionem Gallici nominis gloria extenderetur, simulque hostium vires distrahi, ac debilitari possent, eo quod illi ingentes ex secura harum Regionum possessione opes in belli usus corraderent. His addebat, quod facile restituta Americanis libertate commune omnium, ac publicum ibi statui posset commercium, quod tamen hucusque Hispani, cum hisce populis jugum haud ultra tolerandum imponerent, sibi solis arrogassent.

§. XLV.

*Hujus Equitis consilia de Calvinii erroribus in Americam invendendis.*

*Crepin. Act.  
dy Marty.  
Bez. hist.  
Eccl. 1. 2.  
Spond. ad  
hunc ann.  
n. 16.*

Verum Villagagnonus longe alia in suo animo fovebat consilia; clam enim cum Colinio maris Præfecto rem agebat; hic vero occulte favebat sectæ Helvetiorum, proin etiam Genevensium hæresi, cujus Sectatores quam plurimi jamjam in Galliis morabantur. Huic itaque Præfecto Eques spem fecerat, quod occupatis hisce regionibus Calvinii doctrinam propagaturus esset, ut Protestantes, si eo confugere vellent, tutum  
ibidem

ibidem asylum reperire possent; Calvinus quoque, cujus consilium abs dubio desuper fuerat expetitur, plurimum ex Sancto Evangelio illud Christi Domini consilium: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*: extollebat, simulque sceleratum hoc facinus Apostolorum zelo æquiparabat, atque ad eorum exemplum suscipi jactitabat, ut hoc pacto falsam suam Religionem latius extendere posset. Verum non modo admodum diversa in eo prævalebat ratio, sed ipse etiam modus fraudibus, aliisque gravissimis vitiis scatebat: Nihilominus Colinius facile Regis animum captabat, vana amplissimi lucri spe delusum; quippe ad Hispanæ, & Lusitanæ gentis exemplum ibidem Gallorum colonias constituere, indeque ingentes divitias haurire sperabat. Verum præcipua Colinii consilia eo collimabant, ut ex Regis sumptibus ibidem spuris reformationis Ecclesia erigeretur, ad cuius operis executionem, sectæque augmentum peropportune Colinio obvenerat Villagagnonii, ac ceterorum militum suorum solertia, quocirca instructis Regis jussu tribus triremibus magnam Calvinistarum occultorum turmam præter quosdam Catholicos, quorum fidem sibi haud suspectam habebat, imposuit, ac die septima Julii ex  
Portu

Sæcul. XVII.  
A.C. 1555.

Matth. c. 10.

Sæcul. XVI. Portu Gratiaë progressus est. Attamen  
A.C. 1555. tempestate suborta in Dieppæ portum  
 rejectus, expositisque ibidem suorum  
 nonnullis, qui mare pertæsi navigandi  
 finem fecere, cum ceteris die decima  
 quarta Augusti denuo vela fecit, ac su-  
 peratis inter utramque Britanniam fau-  
 cibus vigesimo post die in conspectum  
 Tenerifæ venit, indeque Æthiopicum  
 Promotorium die octava Septembris e-  
 mensus Guineæ litus legit.

§. XLVI.

*Genevensis sectæ Præcones in Ame-  
 ricam transmissi.*

*Thu. l. 16.* Tandem exeunte Mense Novembri  
*Debry hist.* Anno Domini millesimo quingente-  
*Americ. p. 3.* fimo quinquagesimo quinto ad Brasiliæ  
*Lescarb hist.* oram Genabrum fluvium, qui vulgo Ja-  
*novæ Franc.* nuarius a Lusitanis dicitur, viginti tri-  
*l. 2.* bus gradibus ultra æquinoctialem li-  
 neam situm ingressi sunt, longiusque  
 progressi pervenerunt ad quamdam exi-  
 guam insulam antea desertam, quæ sua  
 longitudine circiter mille passus, ac sex  
 eorum millia in amplitudine numera-  
*Belcar. l. 28.* bat. Ibidem Villagagnonus tuguria ve-  
*n. 9.* lut totidem speculas, atque in medio  
 propugnaculum erigi iussit, quod ab  
 Architalassi nomine *Colinium* appella-  
 vit: mox vero ad eundem *Colinium*  
 scribens, petiit, ut Genevenses Theolo-  
 gos

gos protinus submitteret: Itaque Colinius parta nominis sui gloria inflatus, necnon divitiis, quas primæ duæ triremes ex hac regione reportaverant, captus confestim tres alias naves majori adhuc Calvinistarum numero, ac præcipue duobus Genevensibus Præconibus a Calvino accersitis onustas ad Villagagnonium transmisit. Seligebantur autem ex Genevensibus Theologis Petrus Richerius plusquam quinquagenarius, & Guilielmus Chartierus, seu Quadrigarius cognomine, quibus Calvinus prædicandi potestatem, qua tamen ipsemet carebat, concessit. Hos plures adhuc alii comitabantur, atque inter ceteros præprimis Joannes Lerus Burgundus: omnibus vero ducem se præbuit Philippus Corquillerius Pontius, qui se ob Religionis causam Genevam contulerat, erat que homo Colinio notus, ob idque a Colinio ipso, ut hanc provinciam, quæ ad Dei gloriam, ut ipse agebat, pertineret, suscipere non gravaretur, per literas sollicitatus.

Sæc. XVI.  
A.C. 1555.

Postquam hi Castellionem, quod oppidum est ad Ligerim in Francia situm, ad Colinium venerant, acceptis ab eo literis Honflorium profecti sunt, ubi a Bosio Villagagnonio in eam rem ab avunculo misso, humaniter excepti cum tribus navigiis egregie instructis decima

*Hist. Eccles. Tom. XLII.* T No

Sæcul. XVI. A.C. 1555. Novembris solverunt, & eadem, qua Villagagnonius, via quarta die Martii ad promontorium, quod *Frigidum* appellant, venerunt, ac triduo post finem Januarii ingressi Colinianum munimentum incolumes petiere.

## §. XLVII.

*Dissidia ibidem inter Calvinii Sectatores exorta.*

*Spond. hoc ann. n. 17.*

Vix una omnes advenerant, cum illico cujusdam Ecclesiæ forma ritu Genevæ recepto institueretur, atque etiam celebraretur cœna, cui ipse Villagagnonius die vigesima prima Martii interfuit: Attamen cum Catholici sese sacrilegæ huic novitati opponerent, atque inter ipsos etiam Calvinistas hac super re dissensio exorta esset, cuncta eorum consilia fuere everfa. Ceterum primam dissidiorum ansam præbebat quæstio circa Azymum, & fermentatum panem; jam enim propterea, ut memoravimus, circa hunc articulum Genevæ ab initio tam acris fulcitabatur altercatio, ut ipsemet Calvinus cum suis asseclis urbe ejiceretur. Alteri vero contentionis capiti, quod longe majorem adhuc impietatem sapiebat, ansam dedit explicatio illorum S. Joannis c. 6. verborum: *caro non prodest quicquam, Spiritus autem vivificat*, Richerius enim Mini-

Minister ex Religioso Carmelita fidei Sæcul. XVI.  
 defertor omnes sectæ suæ socios nequi- A.C. 1555.  
 tia superans eo impietatis devenerat,  
 ut pertinaciter traderet, Christum in  
 carne non esse adorandum, neque in-  
 vocandum, cum tamen Sacræ Paginæ  
 disertis verbis testentur, quod Pater  
 æternus, a primo temporis articulo,  
 quo Christus hunc orbem fuerat ingres-  
 sus, Angelis suis præceperit, ut *adorent*  
*eum omnes Ang:li ejus.* Hunc honorem  
 Richerius, cum Christo Domino incar-  
 nato denegaret, potiori etiam ratione  
 eidem in Eucharistia, qualicunque de-  
 mum modo ibi præsens esse credere-  
 tur, deferre recusabat; ex usu enim  
 Eucharistiæ, inquiebat ille, nulla in  
 anima utilitas expectari potest. Hæc  
 altercatio eo usque processerat, ut  
 Charterium alterum Ministrum ad Cal-  
 vinum pro istius sententia desuper per-  
 cipienda, remittere oporteret, impro-  
 vido prorsus consilio; quippe Calvinus  
 nullam aliam dubia decidendi regulam  
 statuerat, quam solum cujuslibet pri-  
 vatum Spiritum.

## §. XLVIII.

*Totum hujus expeditionis negotium per  
 hæreticorum dissidia eversum.*

Cum igitur Villagagnonius, qui aliunde Beza in  
 judicii acie instructus falsum hunc Icons tit.  
 Præ- Mart. Amer.

**Sæcul. XVI.** **A.C. 1555.** Præconem convincendi dexteritate pollebat, ex hisce diffidiis facile colligeret, quod ipsius doctrina ruinosis innitetur fulcris, quocirca Richerium in publico sermone, ac postea editis libris omnino præclaris impugnabat, palamque cum pluribus aliis abjecta Calvinî hæresi rursus fidei Catholicæ sese addicebat. Verum exinde ingentem Colini Architalassi indignationem sibi accersebat, unde nullum amplius ab eo auxilium acceperat: Nihilominus, cum ceteris potentia prævaleret, Calvinî Sectatores ejecit, quorum tamen nonnulli lacero impositi navigio remeare audebant. Tandem Villagagnonius, cum postea Lusitanis, ac barbaris in eum conspirantibus resistendo impar esset, munimentum suum relinquere, ac in Gallias reverti cogebatur, ubi tamen nonnisi Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo appulsus calamum suum egregie contra Calvinum stringebat. Demum vero post reditum suum tredecim adhuc annis vita superstes, pro bique Catholici partes strenue explens prope Nemorsium in suo Equestri prædio Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo primo obiit.

## §. XLIX.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1555.*Veralli Cardinalis obitus.*

Hoc anno ex Cardinalibus nonnisi unicum fatis functum reperio Hieronymum Verallum patria Romanum, ac Joannis Baptistæ Veralli, & Juliæ, quæ Dominici Jacobatii Cardinalis Soror erat, Filium. Is natus erat Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo atque emenso humaniorum literarum curriculo non sine ingenti progressu Juris prudentiæ studio operam navabat, ac meritorum suffragio utriusque, ut vocant, Signaturæ Referendarius seligebatur. Postea Fori Triventinorum, & Casertanus Episcopus, necnon perpetuus Rossanensis Archiepiscopatus Administrator electus, tandem Caputaquensi Ecclesiæ tanquam Præsul præfuit: Cum autem Anno post Christum natum millesimo quingentesimo trigesimo sexto sub Paulo III. Pontifice Maximo Venetiis Sedis Apostolicæ Legatum ageret, septem primos S. Ignatii socios, cum prius voluntariæ paupertatis votum nuncupassent, Sacris Ordinibus initiabat: Romam vero redux ab eodem Pontifice in Germaniam ad Ferdinandum Regem ablegabatur, ut Ioanni Morono Mutinensi Episcopo, qui ad Cardinalium digni-

Ciacon. in  
vit. Pont.  
t. 3. p. 735.  
Pallav. l. 9.  
c. 3. n. 5.  
c. 16. l. II.  
c. 16. n. 3.  
Et lib. 13.  
c. 1. n. 6.  
Et IC.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

dignitatem erat evectus, succederet, ast paulo post Sedis Apostolicæ Nuntius speciatim ad Carolum V. Cæsarem in Religionis negotio decernebatur, quo munere tanta prudentia, ac zelo fungebatur, ut in meriti sui præmium ab eodem summo Pontifice Romana purpura decoraretur Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quadragesimo nono, quo Paulus III. die octava Aprilis octava jam vice Cardinales creabat. Obtinebat tum Verallus titulum S. Martini in montibus: paulo post vero idem a Julio III. Legatus in Franciam ad Henricum II. mittebatur, ut hunc Principem ad pacem inclinaret, ac Parmensis, & Mirandulani belli flammæ extinqueret. Inde reversus relicto Ecclesiæ suæ titulo illum S. Marcelli optabat, renuntiatusque fuit signaturæ Præfectus, quo etiam munere functus Romæ die undecima Mensis Octobris Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto animam Deo reddidit annos natus quinquaginta quinque, sepultusque est in Ecclesia FF. Eremitarum S. Augustini, ubi adhucdum sepulchralis ejus inscriptio legitur. Interfuit quoque Sacris comitiis, in quibus Julius III. Marcellus II. & Paulus IV. Pontifices eligebantur. Scripsit quoque quasdam epistolas ad Petrum Arretinum.

§. L.

§. L.

*Isidori Clarii fata.*Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

Inter Scriptores Ecclesiasticos hoc anno defunctos primo loco occurrit Isidorus Clarius prope Brixiam in Italia Anno restauratæ Salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto in exigua quadam arce nomine Chiaria, seu Clario natus. Hic jam a teneris annis relicto sæculi fastu totum se Deo sacrabat, in Congregatione Cassinensi Divi Benedicti institutum Professus. Ibidem linguarum, ac Theologiæ scientia imbutus, ob præclaras ingenii dotes, & raram eloquentiæ elegantiam variis in occasionibus magnum sibi nomen conciliabat, præcipue vero in tertia Concilii Tridentini Sessione, in qua circa versionis vulgatæ, Sacrique Colicis auctoritatem cum summa eruditione differebat. Existimant nonnulli, quod adhucdum huic Concilio interfuerit, cum a Paulo III. Fulginii in Umbria Episcopus fuerit renunciatus: interim id saltem dubio non est expositum, quod illico ad suam Sedem se receperit, ut officii sui munera expleret, populumque sibi commissum verbo æque, ac exemplo instrueret: priusquam vero Episcopus nominaretur, Abbas erat S. Mariæ de Casana, legiturque in quinta

Thu. l. 16.  
Miræus de  
Script. Eccl.  
Sæcul. XVI.  
Dupin. Bibl.  
des Aut.  
Eccl. t. 16.  
p. 18.  
Spond. hoc  
ann. n. 22.

T 4

Con-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1555

Concilii Sessione, quod tum Abbas Pontidæ Bergomensis fuerit appellatus. Demum, postquam Fulginensem Ecclesiam cum summa vigilantia, atque cura vere Episcopali per septem, aut octo ferme annos rexerat, ibidem Sanctitatis fama conspicuus die vigesima octava Maji hoc anno supra millesimum quingentesimo quinquagesimo quinto mortalitatem exiit non sine communi totius gregis sui luctu, qui turmatim ad ejus Palatium accurrebat, ut Pastoris sui Corpus per quadraginta horas expositum conspiceret, ac osculis venerari posset. Expleverat annum ætatis suæ sexagesimum, sepultusque fuit in sua Ecclesia, ubi hodie adhuc ejus Epitaphium visitur.

§. LI.

*Hujus Auctoris opera.*

*Richard  
Simon hist.  
crit. de l'an-  
cien testam.*

Cum Historicus ille oppido industrius, ac Hebraici, Græcique idiomatis apprime gnarus esset, hinc duo celeberrima in Sacras Paginas opera elucubranda susceperat; primo enim vulgatam totius Sacri Codicis versionem emendabat: altero autem quædam loca, quæ ambigua videbantur, annotationibus literalibus illustrabat. Ambo hæc opera ob doctrinam, soliditatem, æque ac utilitatem plurimum commendantur; horum

horum tamen editio prima Anno mille-<sup>Sæc. XVI.</sup>  
 simo quingentesimo quadragesimo se-<sup>A. C. 1555.</sup>  
 cundo Venetiis facta librorum prohibi-  
 torum albo inferebatur, præcipue ob  
 libertatem, qua in sua præfatione de  
 Vulgata differebat. Verum hæc cen-  
 sura per illos Præfules, qui a Triden-  
 tino Concilio examinandis libris præ-  
 ficiebantur, mox fuit sublata, ipsum-  
 que Isidori opus evolvi permissum, ex-  
 cepta tamen præfatione, & Prolegome-  
 nis. Postmodum Anno a Christi Nati-  
 vitate millesimo quingentesimo sexa-  
 gesimo quarto rursus Venetiis eadem  
 opera elegantissimis literis excusa pro-  
 diere. Scripsit etiam Isidorus latino  
 fermone novum Testamentum, & quam-  
 vis cum ingenti moderatione Bibliorum  
 emendationem in se suscepisset, fatetur  
 tamen, quod plusquam octo millia tex-  
 tum a mendis perpurgaverit, testa-  
 tus, quod plura adhuc deprehendisset,  
 nisi Orthodoxos offendere fuisset veri-  
 tus. Ex ceteris hujus Scriptoris elu-  
 cubrationibus præcipua sunt ejus Scho-  
 lia in Cantica Cantorum, in Novum  
 Testamentum, in Christi Sermonem in  
 monte, necnon in Evangelium Sancti  
 Lucæ. Edidit quoque duo sermonum  
 specialium volumina, in quibus præ-  
 cipua Veteris, & novi Testamenti loca  
 explanat. Insuper extant præter duos

T 5

illius

Sæcul XVI. illius sermones de justificatione, & gloria in Tridentino Concilio habitos etiam oratio adhortans ad reconciliationem cum Ecclesia, necnon alia circa moderationem, qua Christianus divitiis uti debet. Reliquit denique posteris duos sermones in caput nonum Epistolæ ad Romanos, tresque libros in caput decimum quintum Epistolæ ad Corinthios, quæ tamen ejus opera nondum typis vulgata prodierunt: editæ tamen fuere hujus Auctoris epistolæ per Maurum Piazzium Parmensis Monasterii Abbatem Anno Domini millesimo septingentesimo quinto.

## §. LII.

*Petri Lizeti extrema.*

*La Croix  
du Maine  
Bibl. Fran-  
coise.*

**A**lter erat Petrus Lizetus, seu Lifetus primus Parisini Senatus Præses hoc anno pariter mortuus. Hic Claromontii in Alvernia natus, soliusque meriti suffragio ad prima honorum subsellia erectus erat, nam Parlamenti Consiliarius tribus, ac duodecim annis Regius Advocatus fuit, & demum viginti omnino annis primarii Præsidis locum tenuit, in quibus omnibus officiis magnam sibi famam comparaverat, præcipue vero in illa caussa, ubi Ludovica de Sabaudia Francisci I. Mater Borbonium Connestabilem divexabat; ibi enim Regis, Regni-

Regnique jura ingenti prorsus eloquen-  
tia tuebatur. Demum Anno Domini Sæcul. XIV.  
A.C. 1555.  
millesimo quingentesimo vigesimo nono  
primus Senatus Præses a Rege nomi-  
nabatur, quam tamen dignitatem An-  
no Salutis nostræ millesimo quingente-  
simo quinquagesimo abdicare cogeba-  
tur, opera Cardinalis Lotharingii, qui  
Virum odio habens in ejus exitium ju-  
rabat, eo quod ejus ministerio ceteri Se-  
natores Lotharingicæ Familiæ Proce-  
ribus, ex quorum prosapia Cardinalis  
descendebat, Principis titulum dene-  
gassent. Itaque in ejecti locum suffi-  
ciebatur Joannes Bertrandus non ita  
pridem Tolosa evocatus, qui in Pari-  
sensi Curia Præses fuit constitutus. Ad-  
versæ hujus fortunæ casus Lifeti  
constantiam penitus fregerat, unde  
ignavo metu perculsus sese ad Lotha-  
ringii, qui calamitatis perpetræ Auctor  
extiterat, pedes se abjiciebat, & modo  
prorsus humili, atque abjecto illum ad mi-  
serationem commovere, ejusque bene-  
volentiam rursus sibi conciliare stude-  
bat, præcipue vero summam eidem  
exponebat paupertatem suam, iterato in-  
culcans, quod non aliam possideret  
terram, nisi quam pedum vestigiis in-  
cedendo occuparet, cumque tot annis  
Lutetiæ Parisiorum primam Palatii  
dignitatem tenuisset, jam in alienis con-  
ductis

Sæcul. XVI  
A.C. 1555.

ductisque ædibus habitare cogeretur. Hac submissione, atque abjecta deprecatione mitis Princeps Cardinalis tantopere commovebatur, ut ipse Parisiensem Sancti Victoris Abbatiam eidem cederet, ubi etiam Lifetus reliquos vitæ suæ dies transegit, ita ut extremus ætatis suæ exitus minime priori famæ sibi acquisitæ responderet. Obiit ergo ibidem septuaginta duos annos natus die septima Junii Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, alii vero illius mortem in annum millesimum quingentesimum septimum, vel tempus adhucdum posterius rejiciunt, licet prior obitus sui annus omnino certus sit. Initiatus is erat Sacro Presbyteratus ordine, ac sepultus in choro Ecclesiæ ad S. Victorem. Fundabat etiam pro quinque pauperibus studiosis amplios redditus Parisiis in Collegio justitiæ; insuper in illo suo recessu quædam Theologica, & dogmatica composuit opuscula, quæ tamen ferme nihili habentur, eo quod sacrarum literarum, ac traditionis rudis esset.

§. LIII.

*Hujus Scriptoris opera.*

*Du Bureil.*  
*Antiq. de*  
*Paris p. 323.*  
*edit. 1693.*  
*num. 4.*

Cum Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Lifetus, Abbas Sancti Victoris esset, Pari-

Parisiis sua opuscula typis vulgari curabat, novem comprehensa tractatibus, quorum primo adulterinæ reformationis basin detegit, eamque in eo dicit positam, quod tantum Sacris Paginis insistatur. In altero agit de Ecclesiæ auctoritate, unitate, indefectibilitate, ac visibilitate: in tertio autem de Primatu D. Petri, ejusque successorum, quorum decisiones, si in Generali Concilio conduntur, fallere haud posse affirmat. Quarto tractatu admonet Magistratus, ut pro exterminandis hæresibus omnem diligentiam impendant. Quinto in sex libros diviso demonstrat, legibus Ecclesiasticis prohiberi, ne Sacer codex in linguam Gallicam verteretur, ne ve Professio Monastica libertati Evangelicæ repugnans dicatur. Insuper agit de Confessione auriculari, necnon de cœcitate præsentis sæculi, de quibus argumentis agunt postremi quatuor tractatus. Porro vix præfata opuscula post editionem Parisiensem rursus impressa prodibant Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Lugduni apud Sebattianum Griphum, cum illico Theodorus Beza tum admodum juvenis laborem Liseti procaciter irridebat, edito adversus eum scripto, in quo artificioso lusu fingit, quod Magister *Benedictus Passavantius* a Petro Liseto Gene-

Sæc. XVI.  
A.C. 1555.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1555. Genevam fuerit exploratum missus, quodnam de ejus operibus ibidem judicium feratur, ad quod postmodum Beza Liseo respondet. Enimvero ea, quæ hic Scriptor in suo tractatu contra Sacræ Scripturæ versiones in linguas patrias edisserit, omnino risu digna sunt; ait enim, quod illo tempore, quo Sacra Biblia nascente Ecclesia fuerant latine reddita, duo latini sermonis genera exstiterint, unum Grammatices regulis adstrictum, quod non nisi a Doctis percipi poterat: alterum vero ab hisce Regulis omnino aberrabat, quod a vulgo passim fuerat intellectum: hinc inquit ille, latina Sacri Codicis versio, cum illa juxta primi generis sermonem latinum fuerit concinnata, proprie non erat versio in linguam vulgarem: id autem postea Lisetus ad cetera quæque idiomata extendit.

## §. LIV.

*Georgii Agricolæ mors.*

*Spond. hoc  
ann. n. 26.  
Gesner.  
Bibl.  
Thu. hist.  
l. 16. Melch.  
Adam de  
Germ.  
Script.*

**T**ertius ex Scriptoribus hoc anno mortuus est Georgius Agricola natione Germanus, qui, quamvis tantum Medicus, circa quasdam tamen materias Ecclesiasticas suum exercebat calamus. Hic die vigesima quarta Martii Anno Salvatoris nostri millesimo quadringen-

ringentesimo nonagesimo quarto Glau-  
 chæ in Misnia natus erat, & postea  
 Lipsiæ magisterio Petri Moselli ævo suo  
 longe doctissimi utebatur, demum ve-  
 ro factò in Italiam itinere sub celeberrimis  
 Magistris ingenium suum apprimè  
 excoluit: inde in Germaniam reversus  
 Vallis-Joachimicæ, quod est Misniæ op-  
 pidum, Arti Medicæ operam dabat, ac  
 præcipue rei metallicæ, fossilium, &  
 subterraneorum animantium cognitioni  
 intentus de hoc argumento varios con-  
 scribebat tractatus, per quos multis re-  
 centioribus, qui postea de hac historiæ  
 naturalis parte scripserant, viam ster-  
 nebat. Pariter ad examen, ac criam  
 vocabat Guilielmi Budæi, Leonardi  
 Portii, & Andreæ Alciati tractatus de  
 ponderibus, mensuris, metallorum præ-  
 tiis, & monetis, nec minus reliquit e-  
 tiam posteris opus de traditionibus Apo-  
 stolicis, necnon tractatum de Græco-  
 rum, & Romanorum ponderibus præ-  
 ter opusculum de bello contra Turcas.  
 De cetero summopere adversabatur om-  
 nibus novis circa Religionem opinionibus,  
 unde etiam, etsi Catholicam Re-  
 ligionem integra fide profitens hoc an-  
 no Chemnicii in Misnia die vigesima  
 prima Novembris obiisset, ætatis suæ  
 anno sexagesimo primo Corpus ejus  
 Lutherani, eoquod eorum errores feli-  
 citer

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1555.

Sæcul. XVI. A. C. 1555. citer impugnasset, integris quinque diebus insepultum reliquere, tandem vero illud Citium deportari curarunt, ubi etiam terræ mandatum fuit. Parentabat defuncto Georgius Fabricius non solum sepulcrali inscriptione, sed etiam quibusdam epigrammatibus, quæ in ejus opera concinnaverat.

§. LV.

*Petrus Gillius Albiensis mortuus.*

*Thu. l. 16.* *Gesner. l. c.* *Spond. l. c.* **H**ic idem annus etiam exitialis fuit Petro Ægidio, qui vulgo Gillius dictus, atque Albi natus Romæ extremum clausit diem, cum annum sexagesimum quintum expleffet. Hic ad exactam linguæ Græcæ ac latinæ, antiquitatis, veterum Scriptorum, bonarum disciplinarum, ac præcipue rei naturalis cognitionem indefessum longinquas regiones lustrandi studium adjungebat, eoque incitatus jussu Francisci I., qui literatorum eximius erat fautor, libros nondum typis editos undique colligebat: cum vero per plusquam quadraginta annos peregrinatus esset, a Barbariæ Piratis captus in Africam abstrahatur, e quorum tamen manibus tandem elapsus fuerat sollicitudine, ac liberalitate munificentissimi Literatorum Patroni Armeniaci Cardinalis, qui Romæ Galliarum Regis negotia procurabat. Hunc

Hunc favorem Petrus semper gratissimo recolebat animo, vixque libertati restitutus mox benefactorem suum Romæ invisebat, ubi extremum etiam vitæ diem clauserat. Hic idem ex Græco in latinum idioma transtulit Theodoretii commentarios in duodecim Prophetas minores, nec non sexdecim Æliani libros de Historia animalium. Parabat quoque editionem Historiæ eorum omnium, quæ magis notatu, atque admiratu digna ipsi videbantur, sed morte præventus non nisi Bosphori in Thracia, & Constantinopolitanæ Urbis descriptionem evulgare poterat. Fertur, quod Petrus Belonus ejusdem Amanuensis, ac per aliquot annos itinerum comes magnam eorum, quæ scripserat, partem Gillio surripuerit, suoque nomine postea typis ediderit.

## §. LVI.

*Polydori Virgilio opera.*

Quintus erat Polydorus Virgilius Urbini in Italia natus, qui ab unguiculis humaniorum literarum studio deditus jam Anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto Proverbiorum collectionem ediderat, circa quod tamen argumentum recentiorum nullus operam suam impendebat. Anno sequenti publici juris fecerat.

*Hist. Ecclæs. Tom. XLII.*

U rat

Sæc. XVI.  
A.C. 1555.*Paul. Jov.  
in elog.  
cap. 145.  
Vossius l. 33.  
de Histor.  
Lat.*

Sæc. XVI.  
A.C. 1555.

rat opus suum latinum *de Inventoribus rerum* in octo libros partitum, & postmodum in Angliam contendit, ut ibidem tributum, quod vulgo *S. Petri denarius* vocabatur, Sacræ Sedi pendi solitum reciperet. Postea Wellæ in eodem Regno Archidiaconus creatus Anno ab Incarnatione Dominica millesimo quingentesimo vigesimo sexto Londini tractatum suum de prodigiis imprimi curavit. Verum ceteris omnibus suis operibus palmam præripuit Angliæ Historia in viginti sex libros divisa, atque usque ad Henrici VII. obitum producta, quam postea Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo tertio Henrico VIII. nuncupabat, licet eam Angli fide minus integra conscriptam censeant. Tandem diutius in Anglia hæreere pertæsus, cum hujus regni aerem suæ valetudini minus propitium experiretur, regionem magis calidam inquirebat, & reliquos vitæ suæ dies in Italia patria sua transigendi facultatem obtinuisse dicitur, nihilominus Henricus habita ratione, quod in conscribenda Anglicæ Nationis Historia nobiliorem vitæ suæ partem insumpsisset, eidem beneficiorum suorum redditus percipiendi libertatem integram reliquerat. Ceterum hallucinantur illi, qui ad Annum Domini millesimum quingente-

gentesimum quinquagesimum quintum hujus Scriptoris obitum rejiciunt; cum certe circa Annum Christi millesimum quingentesimum quadragesimum quintum, aut forte adhuc citius scilicet Anno millesimo quingentesimo quadragesimo contigerit.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1555.

## §. LVII.

*Sancti Thomæ de Villanova obitus.*

Quinto loco nequaquam silentio prætereundus est Thomas de Villanova in quodam Toletanæ Diœcesis oppido natus, ac eximio animarum studio, nec non tenero, ac in pauperes pio affectu celeberrimus. Hic Compluti emenso Theologiæ curriculo ibidem Professor nominatus postea trigesimo ætatis suæ anno Ordinem S. Augustini profitebatur, & paulo post a Carolo V. & Isabella Lusitana ejus Conjuge in Aulicum Verbi Divini Præconem seligebatur, cum vero inter suos Vallisoleti, Salmanticæ, & Burgi Superior, ac demum Provincialis fuisset renuntiatus, tandem etiam ab eodem Imperatore ad Granatensem Archiepiscopatum fuit nominatus, quem tamen acceptare omnino recusabat. Paulo post vacante Valentiana Sede a Carolo V. ad hunc Episcopatum vocabatur quidam Ordinis S. Hieronymi Religiosus, præter

Raynald  
hoc ann.  
n. 66. Bai-  
let vie des  
Saints.

Sæcul. XVI. mentem tamen suam ille, qui diploma  
A.C. 1555. scribere jubebatur, eidem Thomæ no-  
 men inferebat, quo lecto Imperator  
 hunc errorem deprehendens ex divini  
 Numinis dispositione ideo factum cense-  
 bat, ut Sanctus hic Vir Episcopatu po-  
 titetur, quocirca eundem quoque il-  
 lius Superiores, ut voluntati divinæ sese  
 subjiceret, cogebant, quibus etiam mo-  
 rem gessit, in Episcopali tamen hoc statu  
 vitam ducebat sanctitate conspicuam,  
 suaque erga pauperes charitate nemini  
 secundus erat: nam priusquam morie-  
 batur, cuncta, quæ possidebat, in ege-  
 nos distribui voluit, cumque præter le-  
 ctum, in quo decumbebat, nil reliquum  
 haberet, hunc quoque Episcopalis car-  
 ceris custodi, quem adesse jusserat,  
 dono dabat, rogans tamen, ut hunc  
 lectum ipsi adhuc ad paucos, reliquos  
 que vitæ suæ dies commodato relinque-  
 ret: Itaque omnibus bonis exutus un-  
 decimo sui Episcopatus anno, ætatis vero  
 suæ sexagesimo septimo die octava Sep-  
 tembris Anno Christi millesimo quin-  
 gentesimo quinquagesimo quinto ani-  
 mam Deo reddidit, sepultusque est  
 Valentiae in Fratrum Augustinianorum  
 Templo. Postea a Paulo V. Anno post  
 Christum natum millesimo sexcentesi-  
 mo decimo octavo Beatorum, ac de-  
 mum Sanctorum fastis ab Alexandro VII.  
 die

die prima Novembris Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo adscriptus fuit. Scripsit Sanctus hic Antistes duo volumina Sermonum, qui genuina sunt Sanctitatis, qua claudit, monumenta, cum in illis Divinæ gratiæ charismata fat luculenter eluceant, typisque impressi fuere Compluti Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo.

## §. LVIII.

*Conradi Pellicani mors.*

Inter Scriptores Hæreticos primo loco numeratur Conradus Pellicanus, Franciscani Instituti, fideique desertor, qui Rubeaqui in Alsatia parentibus Conrado Kursiners, & Elisabetha Galla natus die octava Januarii Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo primam lucem aspexit. Hic abjecto Patris sui nomine Pellicanus appellari voluit, ac humanioribus studiis imbutus Fratrum Minorum Regulam profitebatur, ubi Hæbraicum, Græcumque idioma absque alterius Magisterio edoctus fatis commendandum sese reddebat, necnon cum ingenti nominis sui fama Philosophiam, ac Theologiam tradebat, unde præcipua Provinciæ suæ munia tam in Gallis, quam in Italia, aliisque locis præclare obibat: cum

Sæcul XVI.  
A.C. 1555.

vero circa annum millesimum quingen-  
tesimum vigesimum secundum Basileensi  
Conventui præesset, ex assidua cum hæ-  
reticis conversatione depravatus Lutheri  
venenum liberalius hauriebat, & quam-  
vis ab initio nonnihil circumspecte ne-  
quitiam suam occultaret, veritus, ne  
ab Ordinis sui Superioribus promerita  
castigaretur pœna, nihilominus cunctos  
Religiosos, qui ad hæc novitates pro-  
pensum præseferiebant animum, singu-  
lari affectu prosequabatur; demum vero  
Anno Salvatoris nostri millesimo quin-  
gentesimo vigesimo sexto Religiosam  
vestem, quam per triginta tres annos  
gestaverat, penitus abiecit, ac Tiguri  
Hæbraicam linguam tradidit, brevique  
scortum sibi copulavit, ut hoc signo se  
a Romana Ecclesia penitus defecisse  
luculenter testaretur, quinimo postquam  
prima conjux Anno supra millesimum  
quingentesimo trigesimo sexto fati con-  
cederet, secundis nuptiis aliam duxit,  
atque incæsto hoc connubio pollutus us-  
que ad decimam quartam Septembris  
diem Anni post Christum natum mil-  
lesimi quingentesimi quinquagesimi  
quinti vitæ suæ dies duxit, tandem  
vero anno ætatis suæ septuagesimo sep-  
timo animam evomuit. Hic idem in-  
numeros ferme Rabbiorum libros, qui-  
bus hi non modo in Sacras Literas,  
sed

sed etiam in arcanos Judaicæ superstitionis suæ ritus commentati sunt, ex Hæbraico in latinum idioma transtulit, quæ opera omnia Protestantes in septem volumina redigi, ac typis vulgari curarunt. Eo defuncto in ejus locum Argentina Tigurum vocabatur Petrus Martyr Vermilius, qui tamen, ut nuper memoravimus, inde in Angliam reversus est.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

§. LIX.

*Dissidia inter Canonicos Comites Lugdunenses, & Decanum.*

Hoc anno Facultatis Theologicæ Parisiensis sollicitudo præcipue intenta erat sopiendæ contentioni, quæ propter Lugdunensis Capituli consuetudinem, vi cujus sub Sacræ Hostiæ elevatione in Missæ sacrificio genua non flectebantur, inter Decanum, ac Canonicos fuit exorta; nam hunc morem Decanus immutare voluit, contendens, Sacram Hostiam, dum in Missa elevatur, flexis genibus esse adorandam, ac propterea damnabat illum hujus Ecclesiæ morem, juxta quem Canonici sese dumtaxat inclinabant. Ex adverso veterem hanc consuetudinem tueri volentes asseriebant, quod Lugdunensis Ecclesia novas consuetudines non recipiat, prout Sanctus Bernardus legitur testatus. Hæc alter-

U 4

catio

Sæcul. XVI  
A C 1555

catio indies magis magisque, effervescebat, cum enim Decanus nomine Theodorus Bichy Champron dictus Parisiensis Doctor, ringentibus etiam Canonicis suis, sententiam suam propugnare vellet, Facultatis Theologicæ Parisiensis iudicium expetebat circa quæstionem, quæ huic disceptationi ansam præbuit, eique etiam plura alia subjungebat dubia, circa quæ pariter Doctorum sententias rogabat: itaque ad Decani preces Facultas hac super re deliberata die decima octava Aprilis in Collegio Sorbonico conventum habuit.

§. LX.

*Articuli a Decano Parisinæ Facultati propositi.*

*Argentre  
Collect. inde  
de novis err.  
tom 2.  
p. 195.*

Porro Decani petitio tribus circumscribatur articulis, quorum primus his verbis exponebatur. „Invaluit in hac Ecclesia diversus cultus, „qui tamen haud adeo decens videtur, „quamvis enim omni tempore nonnulli „præstantioris etiam conditionis Ecclesiastici, Canonici, & pueri choro assistentes ad Sacræ Hostiæ elevationem „genua flectant, alii tamen sub fictitiæ „consuetudinis obtentu uno genu, alii „utroque genu supra suum sedile imposito „Sacramentum haud majori reverentia, „ac si erecti stetissent, adorant. Equidem

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

„dem Decanus hifce expofuit, quod com-  
 „mentitia hæc confuetudo juri Cano-  
 „nico in c. *Sacr. extra de celebratione Mis-*  
 „*farum* adverfetur, cum ibidem difertis  
 „verbis præcipiatur, ut *Presbyter doceat*  
 „*plebem, quatenus fe reverenter inclinet,* (\*)  
 „Canonici autem genua hoc modo fe-  
 „dibus fuis imponentes nec fe inclinant,  
 „atque exiguam omnino reverentiam  
 „exhibent: Igitur omnes fe profunde  
 „inclinant, prout fieri folet ad oratio-  
 „nes, & ad illa verba: *Flectamus ge-*  
 „*nua*; quippe eo major Sanctiffimo Sa-  
 „cramento debetur cultus, quo majori  
 „adverfa ejusmodi confuetudo imbe-  
 „cillioribus offenfioni eft, cum cernere  
 „cogantur, quod illi, qui ceteris tamen  
 „virtutum exemplo prælucere deberent,  
 „modo adeo minus decenti Sanctiffimam  
 „Euchariftiam honorent., Hanc in rem  
 Decanus, ut fuam fententiam propu-  
 gnaret, plura juris Pontificii testimo-  
 nia proferebat.

## U 5 Alter

(\*) Minus exacte Decanus allegabat jus  
 Canonicum: aft haud obscure deprehenditur,  
 quod potius respexerit ad Canonem *Sane De-*  
*cretalium* l. 3. tit. 41. cap. 10. ubi hæc legun-  
 tur: *Sacerdos quilibet frequenter doceat plebem*  
*fuam, ut, cum in celebratione Miffarum ele-*  
*vatur hostia falutaris, fe reverenter inclinet.*

Sæcul XVI. Alter articulus ejusdem Capituli  
A C. 1555. consuetudinem respiciebat, quam his  
 verbis Decanus Facultati proponebat.  
 „Si forte quisquam in Matutinis laudi-  
 „bus, vel in Missæ Sacrificio, aut Divi-  
 „no Officio errorem committit, ceteri  
 „retro post Altare, quod in choro est,  
 „secedunt, ut ibi absque cantu Officium  
 „absolvant. Verum, inquit Decanus,  
 „juris dispositione prohibitum est, ne ab  
 „officio abs causa legitima, & evidenti  
 „cessetur; nihilominus econtra nonnul-  
 „li contendunt, quod fatius sit, post com-  
 „missum errorem omni ab Officio cessa-  
 „re, & privatim retro post Altare per  
 „quinque, vel sex Clericos properanter  
 „Officium recitare, quam cum solempni-  
 „tate, ac reverentia illud in choro ab-  
 „solvere. Quinimo veterem hunc quo-  
 „que morem nonnulli sequuntur, si Ca-  
 „nonicorum quisquam in Invitatorio,  
 „vel Matutino errat. Alii vero asserunt,  
 „quod juxta sacra decreta Officium cum  
 „solita solempnitate recitandum sit, Ca-  
 „nonicorum autem errores ab alio Sa-  
 „cerdote suppleantur, prout cautum est  
 „in veteri quodam statuto auctoritate  
 „Apostolica confirmato, quod transgre-  
 „di haud licet, unde magis erit conve-  
 „niens, ut pecuniaria multa errantes  
 „plectantur, ac officium more solito con-  
 „tinuetur. „

Tertius

Tertius Articulus concernebat cor-  
 poris situm, quo Canonici assisterent,  
 quando hæc verba: *Et homo factus est:*  
 in Symbolo decantantur: „ agebatur er-  
 „go, an pedibus erecti permanere va-  
 „leant, nec genua flectere cogantur. Ad  
 „hoc autem Decanus ita perorabat:  
 „Quamvis Sacerdos rem divinam per-  
 „agens unacum suis Ministris, atque no-  
 „biliorum Clericorum, & Canonicorum  
 „potissimis, qui in interiori choro sedent,  
 „necnon ipsimet pueri choro assistentes  
 „ad illa verba: *Et propter nostram salu-*  
 „*tem Homo factus est,* semper in genua  
 „procumbant, nihilominus non desunt,  
 „qui non solum genua flectere renuunt,  
 „sed etiam id tanquam legem publicam  
 „respiciunt, qua omnibus etiam Decano  
 „sit prohibitum, ne durante Sacrificio  
 „genus flectant, quamvis id celebrantis  
 „Sacerdotis Ministri faciant. Alii ex  
 „adverso contendunt, quod omnes, cum  
 „celebrans, aliique Canonici, imo & pue-  
 „ri ad Aram ministrantes genua flectant,  
 „etiam sese laudandæ huic, ac univer-  
 „sali consuetudini accommodare te-  
 „neantur, prout id expressum habetur  
 „in rationali Divinorum officiorum, ubi  
 hæc leguntur, *debemus flectere genua, cum*  
*dicitur: Propter nostram salutem Homo*  
*factus est, quia Dei Filium pro nobis homi-*  
*nem factum, & crucifixum adoramus.*

§. LXI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

§. LXI.

*Facultatis iudicium circa hosce  
articulos.*

**I**taque Facultas ad primam hanc quæ-  
stionem his verbis respondit: *In Cho-  
ro non flectere utrumque genu usque ad  
terram, sed vel altero genu, vel utroque  
super sellam inniti in elevatione Sacrosan-  
cti Corporis, & Sanguinis Christi, error  
est intolerabilis, neque ulla consuetudine illi  
possunt excusari, qui hoc faciunt; prohibi-  
tio vero, qua prohibetur humi utraque ge-  
nuflexio, est arrogans, impia, schismatica,  
& scandalosa, hæreticis favens.*

Ad alterum articulum eadem Facul-  
tas ita pronuntiabat: *non est facienda ces-  
satio in Choro, si Canonicus in Invitatorio  
Matutinarum defuerit, vel in Missa erro-  
rem commiserit, seu propter aliam ejus-  
modi levem causam, sed perficiendum di-  
vinum officium etiam in Choro cum tan-  
ta frequentia Canonicorum, & aliorum,  
qui debent interesse, ac si nulla esset absen-  
tia, aut nullus error commissus, sed qui er-  
raverit, puniendus est.*

Denique ad tertium dubium Docto-  
res his verbis responderunt: *Difformi-  
tas illa in Choro, qua nonnulli genua fle-  
ctunt, dum cantantur hæc verba Symboli:  
Et homo factus est; alii vero non fle-  
ctunt,*

Etunt, est reducenda ad uniformitatem eo-  
rum, qui genua flectunt, prohibitio vero  
est arrogans, & temeraria, Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

## §. LXII.

*Lugdunenses Canonici contra hanc  
censuram ad Regis Senatum  
provocantes.*

Hæc Facultatis censura Lugdunensis *Argentv. p.*  
Ecclesiæ Canonicis per ipsum Deca-  
num tradebatur, hi vero exinde ira com-  
moti, pro tuenda veteri sua consuetudi-  
ne ad Regis Senatum appellabant, &  
libellum supplicem mense Augusto por-  
rigebant: in quo rogantes Regi hæc ex-  
ponebant: „Lugdunensis Ecclesia præci-  
„pua, ac Regni tui prima sedes est, in  
quantum ad Officium divinum, & ritus,  
„quos hucusque nullus ausus est vio-  
„lare, aut novos introducere. Nunc  
„vero novissime promotus Decanus, qui  
„per viginti annos antea Canonicus  
„eosdem ritus observabat, aut vanitate,  
„& superstitione, aut potius vero zelo  
„abreptus hodie insurgit, contenditque,  
„quod ceteri ipsius arbitrio obsecun-  
„dent, cum tamen nil nisi capitulum  
„perturbare intendat, adeo etiam, ut ad  
„Parisiensem Theologicam Facultatem  
„præsumeret quosdam transmittere ar-  
„ticulos, in quibus tamen veritatem dif-  
„simula-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555. „simulabat, ac præfatorum rituum ra-  
„tiones corrumpebat. Nihilominus  
„præfata Facultas, cum tamen non sit  
„Judex competens, sententiam suam  
„pronuntiabat, licet nullum ex Capitu-  
„lo prius audivisset, ut de facti veritate,  
„necnon de causis, atque horum rituum  
„rationibus edoceri potuisset, sed unice  
„ad solam Decani delationem tria ista  
„tuta, ac Lugdunensis Ecclesiæ consue-  
„tudines, quæ tamen per tempus homi-  
„num memoriam excedens fuerunt ob-  
„servatæ, perstrinxit censuris, quæ e-  
„tiam non sine ingenti præfatæ Eccle-  
„siæ scandalo ad acta relatæ, ac Deca-  
„no, qui eas ubique divulgat, traditæ  
„sunt. His igitur attentis Canonici  
„suppliciter Majestatem suam exorant,  
„quatenus hæc censuras ex Facultatis  
„Theologicæ tabulis deleri præcipiat,  
„ac Decano inhibeat, ne has censuras  
„in usum deducat, vel quicquam in Ca-  
„pituli præjudicium moliatur, usque  
„dum Senatus hac super re pronun-  
„tiavit. „

Rex ad hunc libellum respondit, ac  
Cardinalibus Turnonio, & Lotharingio  
negotium dedit, ut, quamprimum Pari-  
sios venerint, Theologicæ Facultatis  
Deputatos adesse jubeant, ut ipsi æque,  
ac Canonici Regi supplices audiantur,  
resque componatur, & unicuique juxta  
causæ

causæ æquitatem jus dicatur. Lata Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.  
est hæc sententia die decima quarta  
Augusti.

## §. LXIII.

*Hoc dissidium per Lotharingium, &  
Turnonium Cardinales com-  
positum.*

Excusabat sese Facultas, totam rem  
rejiciens in verba illius, qui hanc  
quæstionem proposuerat: verum Cano-  
nici id veritati haud consonum existima-  
bant: quapropter re ultro, citroque  
ac præsentem Rege in Senatu agitata, to-  
tum negotium ad proprios iudices re-  
mittebatur, simulque duobus hisce Car-  
dinalibus dissidentes componendi, litem-  
que dirimendi cura fuit demandata.  
Hi præprimis Facultatem, ut a suo ju-  
dicio Lugdunensis Ecclesiæ nomen de-  
leret, obstringebant, & postea decide-  
bant, quod Capitulum deinceps confue-  
tudinibus hucusque servatæ insisteret, omni  
tamen possibili decentia, ac debita re-  
verentia sese gereret. Post hæc Anno  
Domini millesimo quingentesimo quin-  
quagesimo quinto a sanctiori Senatu  
hanc in rem edictum promulgabatur,  
in quo Rex hæc effatus est: „cum pre-  
ces nobis die decima quarta hujus  
„Mensis fuissent exhibitæ per Capitu-  
„lum,

Sæcul. XVI., lum, Comites, & Lugdunenses Cano-  
A.C. 1555. „nicos, qui contra suum Decanum sup-  
 „plices rogabant, ut Facultatis censu-  
 „ræ die decima octava Aprilis latæ ex  
 „ejusdem tabulis eradantur, eoquod il-  
 „læ absque legitima potestate, ac juris-  
 „dictione fuerint pronuntiatæ: igitur re-  
 „mittimus præfatum libellum suppli-  
 „cem ad Lotharingium, & Turnonium  
 „Cardinales, ut auditis partibus omnia  
 „ad juris præscriptum decidant., Am-  
 bo ergo hi Cardinales ad istius edicti  
 normam præcipiebant, ut hæc verba:  
*de Ecclesia Lugdunensi*: delerentur, atque  
 sic censura evaderet generalis, insuper  
 Decanus restituere jubebatur exemplar,  
 quod ex authographo actorum decer-  
 pserat, nec minus eidem fuit prohibitum,  
 ne ullo pacto hac censura utatur: vi-  
 cissim vero auditis contendentium par-  
 tibus, supplicantes ad eundem revoca-  
 bantur statum, in quo ante hæc cen-  
 suras erant. His Decanus satisfecit,  
 ac hujus sententiæ expeditioni morem  
 gessit.

## §. LXIV.

*Utriusque Cardinalis sententia per  
 Senatus edictum confirmata.*

*Argent: e ib.* His ita compositis Rex postmodum  
 p. 200. sententiam pronuntiavit, approba-  
 toque

tosque Cardinalium iudicio litigantibus Sæcul. XVI  
A.C. 1555.  
præcepit, ut exacte illud observarent.

## §. LXV.

*Facultatis deliberatio circa hoc edictum  
in quodam confesso instituta.*

Verum hoc edicto nondum Argentre  
p. 201. lis omnino  
composita erat, quippe Facultas die  
vigesima octava Octobris Anno Domini  
millesimo quingentesimo quinquagesimo  
octavo hanc in rem conventum egit, in  
quo post maturum examen ita decidit:  
*decernimus, quod respondeamus ad omnia illa, quæ proponuntur coram Nicolao Pastureo Commissario, quomodo volumus, & parati sumus parere dictæ sententiæ omnibus modis, nec ullo modo volumus repugnare.* Postea designati sunt, qui hæc nomine Facultatis referrent Commissario prædicto, iique erant Decanus Daval, de Courfel, & Morelus.

Altera die vigesima nona ejusdem Mensis denovo convenerant Doctores ad audiendam relationem eorum, quos prior die in causa Lugdunensium Canonorum deputabant: postea ita Facultas pronuntiabat. *Ex communi consensu Magistrorum nostrorum placuit, ut non ingrediamur strepitum forenses, sed adeant Dominum Commissarium Magistri nostri Daval, Benedictus Courfel, & Pelletier, cui offerant sententiam, & tabulas, in quibus*  
Hist. Eccles. Tom. XLII. X censu-

Sæcul. XVI. A.C. 1555. *cenſuræ contra Canonicos Lugdunenſes continentur, ut ea, quæ ſint expungenda juxta decretum, expungat, præſentibus etiam Notariis, ſi opus ſit.*

§. LXVI.

*Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ſucceſſio.*

*Turco Græcia l. 2. Spond. n. 20. Onuphr. in Chronic.*

**H**oc item anno Domini milleſimo quingentefimo quinquageſimo quinto Joſephus III., ſeu Joaſaph II. Dionyſio in Græco Patriarchatu Conſtantinopolitano ſucceſſerat. Hic novem, aut decem annis hac dignitate fulgebat, prout ex inaugurationis diplomate conjicere licet; poſtquam enim ſua nimia arrogantia cum ſuo Clero continuas habuerat altercationes, de ſimonia convictus omnibus adeo inviſum ſeſe reddebat, ut Anno Chriſti milleſimo quingentefimo ſexageſimo quinto a Græcis Præſulibus una congregatis fuerit exauctortus, eique ſuffectus Metrophanes Cæſareenſis: tum vero Joaſaphus, qui Adrianopolitanus erat Metropolita, ſuis artibus, ac muneribus tantum effecerat, ut ſolita muneris largitio, quæ antea ad tria millia aureorum aſcendebat, ad duo duntaxat millia reduceretur. Hic idem pluribus aureis, & argenteis vaſibus Conſtantinopolitanam ornabat Eccleſiam, ipſumque Palatium pluribus ædi-

ædificiis augebat, illudque mæniis cingebat. Inter Patriarchas vero Latinos mortuo Fabio Columna hanc dignitatem consequebatur Ranutius Farnesius, eaque usque ad obitum suum, prout testatur Onuphrius, per decem annos fruebatur; id vero non omnino temporis rationi consonum videtur; quippe in Cabrera legimus, quod Scipio Rebiba, quem Paulus IV., ut memoravimus, Cardinalem creaverat, Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono Constantinopolitanus Patriarcha fuerit renuntiatus, eique Prosper Rebiba illius Nepos successerit, Patruus vero nonnisi Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto hunc titulum adeptus sit.

§. LXVII.

*S. Ignatii epistola ad Abyssinorum Regem.*

Postquam tres illi Jesuitæ, qui a D. Ignatio in Æthiopiam destinabantur ad annuntiandum Christi Evangelium, itineri sese accinxerant, eorum Præpositus Generalis epistolam ipsis tradidit, quam ad Claudium Abyssinorum Regem in Religione Romana enutritum deferre jubebantur. His literis Ignatius hæc perscribebat: „Serenissimus Portugaliæ Rex pro ea sollicitudine, ac eximio,

X 2

quem

Sæcul. XVI.

A.C. 1555.

*Orland. hist.*

*Soc. l. 14.*

*n. 105. & seq.*

*Maffæo l. 16*

*Vide supra*

*c. CL. & S.*

*XLII. &*

*XLIII.*

Saecul. XVI. „quem illi Creator noster, ac Dominus  
 A.C. 1555. „dedit, zelo gloriae Sancti sui nominis,  
 „& salutis animarum, quae Unigeniti e-  
 „jus Filii pretioso Sanguine, & vita re-  
 „demptae sunt, non semel ostendit mi-  
 „hi, per literas pergratum sibi fore, si e-  
 „Religionis nostrae minimae Societatis,  
 „quam vocant Jesu, duodecim viros de-  
 „signarem, e quibus ille Patriarcham u-  
 „num, duos coadjutores pariter, & suc-  
 „cessores eligeret, iisdemque a Summo  
 „Christi Domini nostri Vicario supplici-  
 „ter peteret auctoritatem, & jus, quo  
 „jure ad suas quisque partes rite ob-  
 „eundas, ipsi cum Sacerdotibus aliis in  
 „tuæ Celsitudinis regna transmitti pos-  
 „sent. Ego, pro eximiis inter ceteros  
 „Christianos Principes, ejusdem Sere-  
 „nissimi Regis Portugalliae meritis erga  
 „Societatem nostram uniuersam, no-  
 „straque vicissim omnium in illum ob-  
 „servantia, & pietate, feci, quod iusse-  
 „rat, consultoque fecutus numerum,  
 „qui Christi Domini nostri, Apostolo-  
 „rumque ejus Collegium referret, prae-  
 „ter ipsum Patriarcham, Sacerdotes duo-  
 „decim supplementi, ac velut Seminarit  
 „caussa e corpore nostro cunctos excer-  
 „psi, qui ad sublevandas, iuvandasque  
 „animas tuæ Celsitudinis imperio, ac di-  
 „tioni subjectas sese, vitamque suam in  
 „omnem laborem, atque discrimen of-  
 „ferrent,

Sæc. XVI.

A.C. 1555.

„ferrent, atque huic lubentius parui,  
 „quod præcipua quadam alacritate fen-  
 „tiam me, sociosque meos omnes  
 „ferri ad obsequium, & cultum Celsitu-  
 „dinis tuæ, haud immerito: quippe  
 „quæ inter tot circumfusas undique na-  
 „tiones infidelium, & hostium nominis  
 „christiani, vestigiis majorum suorum  
 „insistens ad conservandam, ac promo-  
 „vendam Christi Domini, ac Dei nostri  
 „religionem, & gloriam diligenter in-  
 „cumbit, quam ipsam ob causam optan-  
 „dum fuerat, ut ad hæc tam recta tuæ  
 „Celsitudinis studia, conatusque, subfi-  
 „dium accederet spiritualium Patrum,  
 „quibus & legitima potestas ab hoc san-  
 „ctæ Sedis Apostolicæ fastigio derivata,  
 „& fidei christianæ pura, & sincera do-  
 „ctrina suppeteret: quæ nimirum duæ  
 „sunt claves illæ Regni cælorum, quas  
 „Christus Dominus noster S. Petro, &  
 „omnibus, qui deinceps in ejus erant  
 „solio sessuri, promisit prius, & dein ipsa  
 „re tradidit. Promisit tantummodo,  
 „cum ad eum dixit: (ut legimus apud  
 „Divum Matthæum Evangelistam) *E-*  
 „*go dico tibi, quia tu es Petrus, & super*  
 „*hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,*  
 „*& tibi dabo claves regni cælorum, &*  
 „*quidquid ligaveris super terram, erit liga-*  
 „*tum & in cælis: & quidquid solveris su-*  
 „*per terram, erit solutum & in cælis.*

X 3

„Tra-

Sæcul. XVI. „Tradidit autem, ac promissa fervavit,  
 A.C. 1555. „cum post resurrectionem, antequam in  
 „cœlum ascenderet, sciscitatus ex eo ter  
 „(quemadmodum affirmat D. Joannes  
 „Evangelista) *Simon Barjona diligis me*  
 „*plus his?* subjunxit in singula responsa,  
 „*pasce oves meas* : committens illi non  
 „partem aliquam ovium suarum, sed to-  
 „tum prorsus gregem universa cum ple-  
 „nitudine potestatis, ad alendos vitali  
 „christianæ Religionis pabulo cunctos  
 „ubique fideles, eosdemque ad cœlestia  
 „sempiterna beatitudinis pascua perdu-  
 „cendos. Ceteris quidem Apostolis au-  
 „ctoritatem Christus Dominus noster  
 „impertiit delegatam, ac veluti extra  
 „Ordinem; at S. Petro, ejusque succes-  
 „soribus ordinariam dedit, ac plenam,  
 „ut ab hoc summo Pastore, tanquam a  
 „fonte reliqui animarum Pastores pete-  
 „rent, eidemque acceptum ferrent, quid-  
 „quid omnino juris ad suum quisque  
 „munus, ac regimen obtinerent. Quod  
 „olim adumbrasse per Isaiam vi-  
 „detur Dominus, cum de Eliacim lo-  
 „quens Pontifice maximo, *Et dabo, in-*  
 „*quit, clavem domus David super hume-*  
 „*rum ejus, Et aperiet, Et non erit, qui*  
 „*claudat: Et claudet, Et non erit, qui a-*  
 „*periat* : quo videlicet typo figuratus est  
 „Petrus, ejusque successores, quibus da-  
 „tam integram potestatem declarant  
 „claves,

„claves, confuetum utique Symbolum,  
 „& insigne pleni, atque absoluti domini:  
 „quæ cum ita sint, celsitudo tua gra-  
 „tias debet ingentes Domino Deo no-  
 „stro, quod ipsa regnante, potissimum di-  
 „gnatus fuerit istis nationibus mittere  
 „veros animarum Pastores, qui a Sum-  
 „mo pendeant Pastore, ac Vicario,  
 „quem reliquit in terris IESUS Christus  
 „Dominus noster; & quantamcunque  
 „habent potestatem, quæ sane peram-  
 „pla est, hanc ab eodem illo Vicario to-  
 „tam acceperunt. Nec sine caussa Pa-  
 „tri, a quoque tuæ Celsitudinis displice-  
 „bat sumi ab urbe Alexandria Patriar-  
 „cham; quippe sicuti divulsam a corpo-  
 „re membrum neque motum, neque  
 „sensum, neque omnino vitam a corpo-  
 „re accipit suo: ita Ægyptius Patriar-  
 „cha, sive ille Alexandriæ, seu Memphi-  
 „degat, cum Schismaticus sit, ac disjun-  
 „ctus ab hac Sacrosancta Sede Aposto-  
 „lica, & ab Ecclesiæ totius capite Pon-  
 „tificis Summo, videlicet vitam gratiæ,  
 „& pastorem auctoritatem, nec sibi  
 „recipit ipse, nec alteri cuiquam valet  
 „legitimam impertire. Ecclesia nam-  
 „que Catholica una tantum est in orbe  
 „terrarum, neque fieri potest, ut alia  
 „Romano Pontifici, alia pareat Alexan-  
 „drino. Uti Sponsus ejus Christus u-  
 „nus est, sic Sponsa illius unica: de qua

Sæc. XVI.  
 A.C. 1554.

Sæcul. XVI „Salomon ait in Canticis ex persona  
 A.C. 1555. „Christi Domini nostri, *una est columba*  
 „*mea.* Et Oseas Prophetâ, *congregabun-*  
 „*tur filii Israel, & filii Juda pariter,*  
 „*& ponent sibi caput unum.* Et in ean-  
 „dem sententiam multo deinde post S.  
 „Joannes, *fiet, inquit, unum ovile, & u-*  
 „*nus Pastor.* Una erat, quemadmodum  
 „in Genesi legimus, arca Noe, extra quam  
 „nulla omnino salus. Unum taberna-  
 „culum, quod fabricatus est Moyfes.  
 „Unum Hierosolymæ templum a Salo-  
 „mone conditum, quo in templo sacri-  
 „ficare, & adorare oportebat. Una,  
 „cujus staretur in iudicio, Synagoga.  
 „Hæc nimirum omnia Ecclesiam deno-  
 „tabant, quæ una est item, extra quam ni-  
 „hil boni. Etenim qui cum ejus cor-  
 „pore conjunctus non fuerit, nempe nul-  
 „lum a Christo capite recipiet influxum  
 „gratiæ vivificantis animam, ac præ-  
 „parantis ad felicitatem æternam.  
 „Hujusce Unitatis declarandæ causâ,  
 „contra quosdam hæreticos in Symbo-  
 „lo canitur: *Credo unam, Sanctam, Ca-*  
 „*tholicam, & Apostolicam Ecclesiam:* Da-  
 „mnatusque a Sacris Conciliis error est,  
 „privatas Ecclesias, ceu Alexandrinam,  
 „Constantinopolitanam, aut similes da-  
 „ri, quæ communi omnium capiti sub-  
 „jectæ non sint Pontifici Romano, ex  
 „quo perpetua serie a Sancto usque Pe-  
 „tro

tro, qui Christi Domini jussu (uti a D. Sæcul. XVI.  
 Marcello Martyre traditum est) Roma- A.C. 1555.  
 nam elegit Sedem, eamque suo cruo-  
 re sanctificavit, perducti Romani Pon-  
 tifices Vicarii Christi citra controver-  
 siam & a tot, ac tanta sanctitate Docto-  
 ribus Latinis, Græcis, omniumque na-  
 tionum habiti; a sanctis Anachore-  
 tis, Episcopis, & aliis Confessoribus a-  
 dorati; tot signis, atque miraculis, tot  
 denique Martyrum, qui in hac fide, &  
 unione Sacræ Romanæ Ecclesiæ vi-  
 tam profudere, testimonio comprobati  
 sunt: Merito igitur consentiente Epif-  
 coporum omnium voce, qui ad Chal-  
 cedonensem convenerant Synodum,  
 Papæ Leoni pariter acclamatum, *San-*  
*ctissimus, Apostolicus, Universalis.* Et  
 in Constantiensi damnata est hæresis  
 negantium super omnes, & singulas  
 omnium terrarum Ecclesias Primatum  
 Romani Pontificis eminere. Ad quas  
 tam disertas, firmasque Patrum san-  
 ctiones, atque Decreta, Concilii quo-  
 que Florentini, quod sub Eugenio IV.  
 præter alias nationes a Græcis etiam  
 Armenis, & Jacobitis tanto studio ce-  
 lebratum est, in hæc verba accessit au-  
 ctoritas: *Definimus Sanctam, Apostoli-*  
*cam Sedem, & Pontificem Romanum in*  
*universum orbem tenere Primatum, ac*  
*successorem esse Petri, & verum Christi*

X 5

„Vica-

Sæcul. XVI. *Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, &*  
A.C. 1555. *omnium Christianorum Patrem, & Docto-*  
*rem existere & ipsi in Beato Petro*  
*pascendi, regendi, gubernandi Universalem*  
*Ecclesiam a Domino Jesu Christo pote-*  
*statem plenam esse traditam. Jure igi-*  
*tur Serenissimus Rex David tuæ Celsi-*  
*tudinis Genitor, misso ad obsequium*  
*Romano Pontifici deferendum Lega-*  
*to, Sanctam hanc Sedem omnium*  
*Matrem, ac Principem agnovit, cum-*  
*que alia multa, & præclara ipsius pa-*  
*riter, & tuæ Celsitudinis acta nume-*  
*rentur, tum duo hæc ejusmodi sunt,*  
*ut eorum præstantiam nulla unquam*  
*obscuratura videatur oblivio, ac proin-*  
*de ab omnibus, qui sub isto vivunt im-*  
*perio, immortales Auctori bonorum o-*  
*mnium Deo debentur gratiæ pro tam*  
*singulari in eos beneficio, vestra duo-*  
*rum opera, industria, virtute collato,*  
*cum alter omnium primus se in illius*  
*potestate, qui Christi vices gerit in ter-*  
*ris, perpetuo fore professus sit: alter*  
*item primus dictum ab eodem Christi*  
*Vicario Patriarcham verum, ac legiti-*  
*imum Sacrosanctæ Sedis hujusce filium*  
*in sua regna perduxerit: Etenim si*  
*in magni cujusdam beneficii loco ha-*  
*bendum est, ut profecto est, infitos esse*  
*corpori mystico Ecclesiæ Catholicæ,*  
*quod a Spiritu Sancto vivificatur, ac*  
*regi-*

„regitur, quam teste Evangelista idem Sæcul. XVI.  
 „Spiritus docet omnem veritatem: si A.C. 1555  
 „eximium est munus, lucem sanctæ Do-  
 „ctrinæ intueri, & Ecclesiæ fundamen-  
 „tis insistere, quam Apostolus Paulus  
 „ad Timotheum scribens domum Dei,  
 „columnam, & firmamentum veritatis  
 „appellat, cui se promisit in æternum  
 „affore Christus Dominus, inquit:  
 „*Ecce ego vobiscum sum usque ad consum-*  
 „*mationem seculi*, ut legimus apud Mat-  
 „thæum Evangelistam, hinc est sane, cur  
 „sine fine gratulentur istæ nationes Deo  
 „Domino, & Conditori nostro, cujus  
 „providentia per tuam, parentisque tui  
 „celsitudinem tanto illos bono dignata  
 „est: præsertim cum jure sperandum  
 „sit, ex hac ipsa conciliatione, consen-  
 „sue fore, Christo Domino moderan-  
 „te, ut cum spiritualibus temporaria  
 „quoque incrementa non sine amplifica-  
 „tione Imperii tui, & hostium abjectio-  
 „ne proveniant. Sacerdotes, qui mit-  
 „tuntur isthuc, omnes quidem, sed præ-  
 „cipue Patriarcha, coadjutoresque, &  
 „successores ejus duo, spectata admo-  
 „dum virtute sunt, & nostra in Societa-  
 „te probati per omnia, ac propter illu-  
 „strem charitatem, & exquisitam, re-  
 „ctamque doctrinam ad hoc tanti mo-  
 „menti opus adsciti. Neque vero illis  
 „animus in id ipsum, aut alacritas deest,  
 „haud

Sæcul. XVI. „haud levi concepta fiducia, labores  
 A. C. 1555. „suos ad Christi Domini gloriam, tuæ  
 „celsitudinis rem, animarum auxilium  
 „pari cum operæ pretio collocandi. Hu-  
 „manæ quippe salutis amor illos, & Chri-  
 „sti Domini aliqua saltem ex parte i-  
 „mitandi exstimulat studium, qui cru-  
 „ciatus, ac necem subiit volens, ac li-  
 „bens, ut mortales ab æterna calami-  
 „tate redimeret: aitque per Evangeli-  
 „stam, *Ego sum Pastor bonus, bonus pastor*  
 „*animam suam dat pro ovibus suis.* Hoc  
 „exemplo incitati Patriarcha, & ceteri  
 „parati veniunt, non verbo duntaxat,  
 „consilioque, & spiritualibus adjumentis,  
 „sed ipsa morte, si res ferat, pericli-  
 „tantibus animis opitulari. Tua celsi-  
 „tudo, quo interiorum illos ad consue-  
 „tudinem, ac familiaritatem admiserit,  
 „eo majorem, ut spero, capiet in Domi-  
 „no voluptatem. Jam vero quod per-  
 „tinet ad fidem, ac pondus eorum, quæ  
 „ab ipsis, vel publice, vel privatim expo-  
 „nentur, non ignorat celsitudo tua, o-  
 „mnium, quatenus rite legati sunt, sed  
 „Patriarchæ præcipue dictis, Apostoli-  
 „cæ fidei pondus, & auctoritatem inesse,  
 „ac perinde illis, ac Ecclesiæ credi o-  
 „portere, cujus ab ipsis interpretanda  
 „sunt verba, & sententiæ. Et quoniam  
 „Christi fideles cunctos Ecclesiæ firmiter  
 „assentiri, ejusque decretis obtemperare,  
 „&

„& si quid existat ambiguum, aut ob-  
 „scurum, eandem consulere necesse est,  
 „non dubito, quin tua Excellens pie-  
 „tas, probitasque publico edicto cura-  
 „tura sit in suis Regnis, ut omnes o-  
 „mnium Ordinum homines tum Patriar-  
 „chæ ipsius, tum eorum, quos ille sibi  
 „substituet, dicta, præcepta, responsa  
 „citra ullam dubitationem sequantur.  
 „Constat ex Deuteronomio de contro-  
 „versiis omnibus, ac nodis ad Synago-  
 „gam Ecclesiæ prænunciam referri soli-  
 „tum. Hinc illa quoque Christi Do-  
 „mini verba, *super Cathedram Moysi se-*  
 „*derunt Scribæ, & Pharisei*: id ipsum in  
 „proverbiis docet sapientia Salomonis,  
 „cum ait: *ne dimittas præcepta Matris*  
 „*tuæ* (ea est Ecclesia) & alibi, *ne trans-*  
 „*grediaris terminos, quos posuerunt Patres*  
 „*tui*; ii sunt ejusdem Antistites. De-  
 „nique tantum Ecclesiæ suæ tribui, ac  
 „deferri vult Christus Dominus, ut per  
 „sanctum Evangelistam Lucam aperte  
 „denunciet: *Qui vos audit, me audit, qui*  
 „*vos spernit, me spernit*. Et per S. Mat-  
 „thæum: *Si Ecclesiam non audierit, sit*  
 „*tibi sicut Ethnicus, & publicanus*. Ex  
 „quo apparet, ne aures quidem præ-  
 „bendas iis, qui alienum quidpiam a  
 „sensu, & interpretatione Catholicæ  
 „Ecclesiæ attulerint, sancto quoque Pau-  
 „lo in Epistola ad Galatas idipsum præ-  
 „monen-

Sæcul. XVI,  
 A.C. 1555.

Sæcul. XVI. „monente, cum ait: *Sed licet nos, aut*  
 A.C. 1555. „*Angelus de cælo evangelizet vobis, præ-*  
 „*terquam quod evangelizavimus vobis, a-*  
 „*nathema sit.* Ad summam hoc idem  
 „sancti Doctores, Conciliorum Canones,  
 „fidelium omnium consensus, & con-  
 „suetudo plane demonstrant. Ac vi-  
 „cissim Patriarchæ, & sociis pariter o-  
 „mnibus certum est, fixumque, tuam  
 „Celsitudinem assiduo **cultu**, submissio-  
 „ne atque etiam, quoad fas, piūque  
 „ferat, indulgentia prosequi. Nos ve-  
 „ro, quotquot in hisce terris e minima  
 „nostra Societate retinemur, tua celsi-  
 „tudo ad omne obsequium in Domino  
 „paratissimos habeat. Nostris quidem  
 „certe precibus, & sacrificiis, ut jam in-  
 „stituimus, Deo supplicare pergemus,  
 „ut Regiam Celsitudinem tuam, Re-  
 „gnūque istud amplissimum in sancto  
 „Christi famulatu conservet, detque  
 „illi ita transire per bona temporalia,  
 „ut non amittat æterna. Idem ipse  
 „Deus, ac Dominus noster omnibus no-  
 „bis ad Sanctissimam ipsius voluntatem,  
 „& clare cernendam, & rite exequen-  
 „dam perpetuum lumen, ac vires pro-  
 „sua infinitate suppeditet. Romæ se-  
 „ptimas Kalendas Martias, anno mille-  
 „simo quingentesimo quinquagesimo  
 „quinto.

§. LXVIII.

## §. LXVIII.

Sæcul. XVI.

A.C. 1555.

*Duorum virorum Apostolicorum inauguratō, ac discessus.*

Ergo hi Patres discedunt, atque ad Joannem Nunnium, qui Patriarcha *Orland. l. 15.* erat nominatus, Ulyssiponem in Lusitania *n. 103. & 121.* contendunt, ubi is, ac ceteri duo Episcopi Oviedus, & Carnerius, a Portalegrensi Antistite, duobusque aliis Hipponensi, & Insulæ S. Thomæ Præfultibus die quinta Maji, & quidem Nunnius Patriarcha totius Æthiopiæ, Oviedus Nicææ, & Carnerius Hierapolis Episcopi consecrantur. Posthæc conscensa navi ad Indos contendere meditantur, cum autem ab illis, quos Patriarcha in Æthiopiam præmiserat, nuntiatum esset, quod Imperator Claudius cognomento Asnafeghez nullo pacto fidem Catholicam recipere, nec summum Pontificem revereri vellet, sed ab hæreticis Abyssinis, qui Eutychetis, & Dioscori errores sequebantur, delusus persisteret, ideo haud consultum censebatur, ut ipse Nunnius eo se conferret, quocirca duntaxat Andreas Oviedus unacum aliis Jesuitis illuc mittebatur, qui tamen hujus Principis animum flectere haud poterant: postea tamen Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo nono in quodam prælio contra Mahometam-

**Sæc. XVI.** metanos hostes suos inito occubuit.  
**A.C. 1555.** Verum nec minus suis erroribus pertinaciter infistebat Adamus ejus successor, qui omnium immanissime Christianos divexabat.

## §. LXIX.

*Papæ consilium de Patre Laynesio in Cardinalem nominando.*

**Ribad. l. II. n. II.** Ceterum magis adhuc anxium reddebat Ignatii animum timor, ne Patrem Laynesium e Societate sua dimittere cogeretur, cum Paulus IV. Papa illum purpura donare statuisset; jam enim sub primis Pontificatus sui auspiciis fixum, firmumque in animo habebat, imo hoc suum propositum coram pleno Purpuratorum Senatu declarabat, ac cum ipsomet Societatis Generali hac super re collocutus tam vehementibus utebatur verbis, ut hic Pater brevi rubro galero ornandus crederetur. Attamen Laynesius comperta Pontificis voluntate non parum afflictabatur, Deumque exorare non desistebat, ut ab ejus humeris ejusmodi honorum onera averteret, nec ipsum a suscepta humilitatis via, ac vitæ, quam in Societate professus esset, paupertate avelli pateretur. Nihilominus summus Pontifex Laynesium, ut is, priusquam Cardinalis nominaretur, sensim Curia Romanæ consuetudini-

tudinibus affuesceret, in Vaticano Pa-  
latio divertere iussit; significabat enim  
eidem, quod ab eo consilium petere  
vellet, qua ratione res Datariae recte  
componeret, melioremque ad normam  
munus illud redigeret. Ergo Lainesius  
eo accedit: verum nonnisi unico die ibi-  
dem commorans nequidem salutato Pon-  
tificem altera die ad Jesuitarum aedes re-  
vertitur, eo quod diceret, sibi esse neces-  
se, ut ob Pontificis negotia quosdam  
libros consuleret, re tamen ipsa nunquam  
ad aulam redire decreverat, spe fre-  
tus, interea Pontificem a suo consilio  
nonnihil remissurum: de cetero autem  
si Papa rem urgere vellet, ipse oblatam  
dignitatem, cuius se indignum reputa-  
bat, omnino recusare statuerat. Hæc  
Lainesii sedulitas haud caruit optato  
successu, cum de eo nominando haud  
amplius mentio fieret.

## §. LXX.

*Pauli IV. consilium de erigendo Col-  
legio Romano pro Jesuitis.*

Paulus IV. Pontifex suum erga Socie-  
tatem affectum, ac benevolentiam  
novo specimine testaturus Romæ Col-  
legium, quod dicitur Romanum, dota-  
bat, nam hoc equidem jam Anno Chri-  
sti millesimo quingentesimo quinquage-  
simo primo ex pia liberalitate Gandiæ  
*Hist. Eccles. Tom. XLII. Y Ducis*

Sæc. XVI.

A.C. 1555.

Ciac. p. 820.

Orland. l. II.

n. 5.

Sæcul. XVI. Ducis Francisci Borgiæ, necnon ex Ju-  
AC 1555. lii III. eleemosynis conditum fuerat,  
 parca tamen usque nunc erat Patrum  
 sustentatio: postea autem ex Pauli IV.  
 beneficentia ducenti ferme Religiosi ali  
 poterant, prout hic Pontifex decreverat;  
 attamen hujus consilii executio bello in-  
 ter Philippum II., & Franciæ Regem  
 exorto retardabatur: unde Patres ex  
 eleemosynis victum quærere cogebantur,  
 licet eis nec Divina deesset providentia,  
 nec eximia erga illos fidelium Charitas  
 a suo fervore quidquam remitteret: hinc  
 non modo, unde viverent, eis suppedita-  
 tum, sed etiam celebris quidam archi-  
 tectus, cujus filius Societatis institutum  
 amplectebatur, cum Ignatio de Romano,  
 & Germanico Collegiis simul ædifican-  
 dis agere cæperat. Insuper idem Præ-  
 positus Generalis extra urbem præpe  
 Sanctæ Balbinæ ædes commodam, ac  
 peramœnam domum exstrui curabat, ad  
 quam infirmi fanioris auræ captandæ,  
 necnon juniores a suis studiis animum  
 relaxandi gratia singulis hebdomadibus  
 divertere possent: nec deerant alii Viri  
 dignitate conspicui, qui eidem magnas  
 pecuniarum summas elargiebantur, qui-  
 bus hæc ædificia absolvere, omneque  
 æs alienum, quod pro Collegio contraxe-  
 rat, expungere poterat: cum autem Igna-  
 tius hoc Collegium veluti lucens cete-  
 forum

rorum omnium exemplar esse vellet, nullum non movebat lapidem, ut illud summopere floreret, quapropter præter Latinum, Græcum, & hebraicum idioma omnes alias disciplinas etiam Mathematicas tradi præcepit, eique semper per celebres præfecit Professores. Denique ut studia fama magis ubique percrebescerent, Sanctus Ignatius a summo Pontifice obtinuit, ut Scholares liberalium artium Magistri, ac Doctores post data doctrinæ suæ specimina creari possent.

Sæcul. XVI  
A.C. 1555.

§. LXXI.

*Sinarum aditus Jesuitis patefactus.*

Sub idem ferme tempus Jesuitæ, quod tamen Sancto Francisco Xaverio denegatum, ad Sinas penetrandi opportunitatem nanciscebantur; quippe Pater Melchior Nunnius, postquam totam peragraverat Japoniam, in Sancianum Insulam, ubi Sanctus hic Vir Apostolicus diem obierat, pervenit, indagatoque sepulcri loco, eoque ab herbis, vepribusque, quæ jam alte excreverant, purgato pie ibidem rem Divinam peragit, & postea, cum Senenses regnum adeundi facultatem Mercatoribus concederent, ipse quoque hac opportunitate usus in urbem Cantoniam excurrit, quæsito ob-

Orland. l. 15  
n. 134.

Y 2                      tentu,

Sæc. XVI.  
A.C. 1555.

tentu, quod nonnullos Lusitanos ibi captivos redimere vellet. Porro ad exequendum pium hoc opus secum afferebat pecunias, quarum amore capti Sineses mansuescere, blandisque auri- bus Evangelii prædicationem excipere cæperant, cumque Nunnius præprensus cum quodam Sinensi Sacerdote in arenam descenderet, illumque in arctas angustias redigeret, hæc disputatio illius populi curiositatem adeo acuebat, ut ferme innumeri turmatim confluerent Melchiorum percepturi, quamvis inde hic nullum laboris sui fructum reportaret, adeo, ut biennio ibidem exacto in Japoniam reverteretur, ubi in sola Aman-guciensi urbe plusquam duo Christiano- rum millia recensentur.

§. LXXII.

*Tumultus contra Jesuitas Cæsaraugustæ excitati.*

*Orlandi. 15.*  
*n. 95. & seq.*

Verum haud adeo prospera Jesuitis fortuna arridebat Cæsaraugustæ in Hispania, ubi societas varie vexata est ob quoddam Collegium ibidem hoc anno millesimo quingentissimo quinquagesimo quinto erectum: Cum enim iidem Patres quasdam ædes ad ædificationem Collegii, ac Ecclesiæ coemissent, mox instaurato ædificio Patres eo commigrabant, atque a Ferdinando Arragonio Archi-

Archiepiscopo obtenta sacrum ibi celebrandi venia quartam post Pascha feriam ad solemne cultus Divini initium destinabant, urbisque Primores ad hanc festivitatem invitabant. Aderant etiam Fratres Dominicani rem divinam cantu solemni peracturi, cunctaque ad hæc solemnia rite erant disposita, cum ecce! pridie ad vesperam supremus Archiepiscopi Vicarius rogatum mittit, celebritatem tantisper ut differrent, cum perlatae ad se essent quorundam Religiosorum, ac Clericorum in propinquo degentium querelæ. Respondit Barma hujus Collegii Rector, eo jam processum, ut dilatio haud amplius integra esset, proin ulterius procedendum. Postridie paulo antequam Missarum inchoarentur solemnia, adest vir quidam ignotus, qui narrat, se a Custode, seu Guardiano Franciscanorum, quem jurium suorum conservatorem Fratres Augustiniani selegissent, missum, sibi que ab eo injunctum, ut ipsius nomine interpositis Ecclesiæ censuris prohiberet, ne in eorum Ecclesia peragerentur sacra, eo quod hic locus Augustinianorum Patrum fines ingrederetur. Verum ab hoc interdicto Pater Barma ad judicium Pontificis provocabat, ac Societatis privilegia exaggerans cæpta profequitur, sacrumque solemni ritu Fratrum Dominicanorum

Sæcul. XVI.

A. C. 1555.

**Sæcul. XVI.** Prior decantat: sermonem vero habet  
A.C 1555. Joannes Azovola Ordinis Hieronymiani alumnus, ubi ipse Pro-Rex, pluresque Proceres, alique Viri conspicui præsentés aderant,

§. LXXIII.

*Jesuitæ excommunicati, urbeque expulsi.*

*Orland. n. 66* Cum interea sacrum celebraretur, ad  
*Es 71.* Collegii fores Vicarii generalis editum affigitur, quo Parochi omnibus suis Parochianis interdicere jubebantur,

ne interposita anathematis pœna Ecclesiam Jesuitarum frequentarent, vel Sacrificii, vel Verbi divini audiendi, aut Sacramenta suscipiendi studio adirent, moxque Patres excommunicantur, faces in Ecclesia accensæ extinguuntur, Socii horrendis carminibus, & execrationibus obruuntur, simulque dirarum plenus funestissima modulatione cantatur Psalmus Davidis centesimus octavus, qui ab hisce verbis incipit: *Deus laudem meam ne taceris.* Denique nil prætermissum, quod in impios, facinorosos, & detestandos Ecclesiæ, Deique hostes alias evomi consuevit, cum vero in ipsam etiam urbem interdicti fulmen esset intortum, quamdiu Patres ibidem morarentur, hinc ut imminens periculum evitarent, aut non forte etiam ipsorum ædes incenderentur, fecedere

fecedere decreverunt. Ergo Senatum Sæcul. XVI.  
A.C 1555.  
 accedentes, eidem Collegii sui claves  
 porrigunt, veniamque abeundi petunt,  
 haudque gravate id impetrant, exceptis  
 quibusdam Senatoribus eorum Amicis,  
 qui tam iniquam temporum injuriam  
 deplorabant. Abeuntibus itaque Jesui-  
 tis pristina urbi restituta est tranquillitas.

## §. LXXIV.

*Gloriose revocati, ac pristinis honori-  
 bus restituti.*

Verum Joanna Regina Caroli V. Mater Orland.n.75  
E<sup>s</sup> 76.  
 adhuc vita superstes suam, ac Nun-  
 tii Apostolici Auctoritatem vilipendi æ-  
 gerrime ferens mox Patres revocari ju-  
 bet: Itaque Archiepiscopus morem gef-  
 sit, & lata sententia Patrum innocentiam  
 declaravit, ac ipsimet urbis Primores  
 rogatum venerant, ut ad urbem redi-  
 rent, in quam etiam honorifice rursus  
 fuere excepti, obviam usque ad urbis  
 portas procedentibus cunctis Senatori-  
 bus, nequidem excepto Archiepiscopi  
 Vicario, qui, licet in illos anathema vi-  
 brasset, nunc eosdem per omnes plateas  
 comitabatur, illosque ad suas  
 ædes reducebat.

